Septimanae Latinae Europaeae (ed.)

Piper Salve

PIPER SALVE quid est?
Hoc libello "cibus" linguae Latinae conditur et gratiorem saporem accipit. Tredecim capitibus ars Latine dicendi exercetur. Ita non solum Latine leges sed etiam loqueris. Appendice grammaticali *PIPER* et *SAL* tibi secreta sua patefacient. Certe etiam vocabularium tibi erit auxilio. Praeterea lectiones maxima ex parte auctoribus antiquis delibatae continentur, quibus vires Latinae tuae temptare poteris. Bene sit tibi!





ISBN 3-12-614500-0



Piper Salve Cursus Vivae Latinitatis


Klett

Septimanae Latinae Europaeae (ed.)

Robert Maier
Mechtild Hofmann
Klaus Sallmann
Sabine Mahr
Sascha Trageser
Dominika Rauscher
Thomas Gölzhäuser

Piper Salve

Cursus Vivae Latinitatis





Klett



ELI s.r.l. European Language Institute
P.O. Box 6 - Recanati - Italy
Tel. +39/071/750701 - Fax +39/071/977851

Auctores:
Robert Maier, Mechtild Hofmann, Klaus Sallmann, Sabine Mahr, Sascha Trageser, Dominika Rauscher, Thomas Gölzhäuser

Imagines:
John Betti

Druckt: Tecnostampa - Loreto - Italien

ISBN 3-12-614500-0

INDEX

S.: Piper, salve!

P.: Salve, Sal!

S.: Quid agis hodie?

P.: Nihil novi, quid tu?

S.: Ego linguas delecto, si satis sum. Mihi placet autem interdum nimis adesse, ut horreant.

P.: Esto attentus, ne evanescas, nam "si sal evanuerit, in quo salietur?"*

S.: Quid autem de te ipso, Piper? Nonne tu quoque homines libenter terres?

P.: Linguae me plus te timent, nam acerrimus sum, si niger sum.

S.: Cave ne erubescas!

P.: Ruber mihi non placeo, sed viridis suavior sum, si volo. Saepe etiam albus esse mihi placet.

S.: Ego neque colorem neque saporem mutare scio. Item semper eundem saporem do cibis. Mene artem tuam docebis?

P.: Haud facile factu erit, sed conabor attamen.

S.: Quid ergo faciamus?

P.: Si nos commiscuerimus, quolibet colore ac sapore apparebimus. Si nimium nostri erit in cibo, linguas videbis ardentes, si parum fatuus sapor linguae taedio erit plusque nostri cibo addet coquus.

S.: Consilium tuum mihi placet. Vna hominibus gaudio et horrori erimus et linguas provocabimus modo urentes, modo suaviter titillantes.

P.: Eamus igitur spectatum, quid homines agant. Audivi hodie esse conventuros, qui Latine loqui et Romane coquere velint. Operam demus, ut linguam Latinam eorum salsam faciamus!

S.: Tecum adero. Operae pretium erit.

*) Matt. 5, 13

Prooemium

PIPER SALVE adsunt! Cui sunt bono? Possunt cibos condire vel in gratiorem saporem redigere vel etiam in cuppedias mutare. Hic libellus tantam appetentiam Latinitatis excitare studet ut lingua Latina insidens in lingua tua tamquam exsultet voluptate. Quod fieri potest si sermonem Romanorum ut sermonem vulgatum et probatum ad nostra tempora prorsus attrahamus, ad ipsam vitam nostram admittamus et colloquendo adhibeamus.

Non methodus Latinitatis ab incunabulis docendae tibi est prae manibus. Institutio primaria enim scholarum est. Attamen oportet tibi iam aliquam scientiam grammaticae Latinae esse necnon notitiam quandam vocabulorum; praeterea optanda est lectio auctorum faciliorum Latinorum iam habita. Quomodo vero efficiatur ut illae plantae scholares gemmescant, callide curabit PIPER SALVE. Verumenimvero cum primum te regnaverit furor Latinitatis vivae, familiaritas istius linguae, quae perperam mortua dicitur, et facultas loquendi ultro crescent. Originem habet libellus ab experientia *Septimanarum Latinarum Amoeneburgensium* "Latine loqui - Romane coquere", quae ex decennio quotannis fieri solent Amoeneburgi Chattorum in Germania. Inde ab anno 1992 continuo recognitus et auctus est. Emendationes et progressiones debentur discipulis et studiosis, qui Septimanis intererant, viris et mulieribus variarum professionum Latinitatis cupidis, quam sibi iam evanuisse putabant, dominis senioribus, qui sibi accessum ad verum otium patefaciebant.

Ubi ergo PIPER SALVE adest? In feriis et seminariis scilicet aestivis, in institutione populari et ubicumque erit hominibus facultas communis scientiae suae augendae. PIPER SALVE demum cum magna admiratione et satisfactione auctorum invenitur quoque in tablinis magistrorum linguae Latinae in usum vivum sermonis Latini progredientium. Aliquatenus PIPER SALVE iis quoque prodest qui soli pro se ipsi discunt, praecipue iis qui seminariis Latinis aut habitis aut habendis colloquia memoria repetunt aut praeparant.

Certe absonum est Latine loqui sine interlocutore studere. Nam PIPERis SALisVE methodus ex toto nititur colloquiis et occasionibus veris colloquendi. Medio in libello tredecim sunt collquia eorumque partes; exhibent specimina dicendi et sermocinandi, quae legentes vel potius recitantes imitentur suo Marte. Moderator curabit ut unusquisque pro facultate sua interloquatur ita ut paulatim sua sponte et suis viribus confisus verba faciat. Capitibus adiectas invenies interrogationes et sententias praeformatas ad nova et propria colloquia evocanda. Tamen ne quid desideretur, praesto est vocabularium in Latinum et ex Latino necnon tabula paradigmatica formarum verbalium.

Praeter colloquia maximam vim habet appendix grammaticalis. Systemate severo et ambitu pleno neglectis normae primariae syntaxeos et nominalis et verbalis demonstrantur ita ut ea suppeditent quibus loquenti vel roganti opus sit: "Quibus iuncturis mihi utendum est ad hoc vel illud indicandum?" Sic grammatica quoque revivescet, dum PIPER et SAL sermonibus lepidis intercedunt.

Lectionibus (delibatis maxima ex parte auctoribus antiquis), quae inveniuntur in ultima parte libelli, lectores vires Latinas suas temptare possunt, si volent: non enim debent, praesertim si primum PIPERI SALIVE obvii fuerint. Quodsi epistulam saltem Latinam brevem interlocutori interim in patriam profecto conscribere possint, rem valde laudbile fecerint.

Iis qui usque ad hunc versum legerunt, condimenta nostra PIPER SALVE fortem appetitum et sapidam voluptatem exoptant, dum Latinitati vivae fruuntur; uterque abhinc Latine salutari cupit: PIPER SALVE!

Nicolaus Sallmann

PIPER SALVE-PROOEMIVM

Vorwort

PIPER SALVE - was macht man damit, mit Pfeffer oder Salz? Abschmecken, genießbar machen, eine Delikatesse zubereiten. Ja, es stimmt: Dieses Buch will dabei helfen, Latein so mundgerecht zu machen, dass es auf der Zunge zergeht. Möglich wird dies erst, wenn die Sprache der alten Römer, die ja eine völlig normale Sprache ist, ganz in unsere Gegenwart geholt wird, lebendig benutzt und gesprochen.

Sie haben also kein Lehrbuch in der Hand, das die Sprache von Grund auf lehrt; - das ist Aufgabe der Schule. Umgang mit der lateinischen Grammatik, ein gewisser Wortschatz, das wird hier vorausgesetzt, am besten auch etwas Erfahrung mit leichten lateinischen Texten. Wie man die stillen Keime dieser Vorkenntnisse zum Treiben bringt, das weiß und besorgt PIPER SALVE, und wenn erst die Begeisterung am lebenden Latein erwacht ist, werden die Vertrautheit mit der angeblich so toten Sprache und die lateinische Sprachkompetenz rasch weiterwachsen. Entstanden ist dieses Buch aus der Praxis der 'Europäischen Lateinwochen' auf der oberhessischen Amöneburg (Septimanae Latinae Amoeneburgenses: Lateinisch sprechen, römisch kochen) und es wurde seit 1992 Jahr für Jahr um neue Erfahrungen bereichert. Diese Jahresringe sind Schülern und Schülerinnen zu verdanken, Studentinnen und Studenten, Menschen verschiedenster Berufe, die sich ihres scheinbar vergessenen Lateins entsannen, Männern und Frauen im dritten Lebensabschnitt, die sich den Weg zu wahrer Muße öffneten.

PIPER SALVE ist also zu Hause bei Freizeiten und Sommerkursen, an Volkshochschulen und wo immer Bildungsangebote gemacht werden, und - es hat die Verfasser freudig überrascht - auf Schreibtischen von Lateinlehrern und Dozenten, die sich die Dimension des gesprochenen Lateins erschließen wollen. In gewissem Rahmen eignet sich PIPER SALVE auch zum Selbstunterricht, zumindest zum Vor- und Nacharbeiten in Verbindung mit einer Lateinwoche oder einem Sprechkurs.
Sicher ist es paradox, sich Lateinsprechen ohne Partner aneignen zu wollen. Denn die Methode von PIPER SALVE beruht ganz auf dem Dialog und auf echten Gesprächsanlässen. Die dreizehn Colloquia mit ihren Unterabschnitten sind das Herzstück. Sie bilden Beispiele für Ausdrucksmöglichkeiten und Sprachgestaltung zur spontanen Nachahmung. Der Moderator wird wird jedem Teilnehmer die Gelegenheit geben, sich seinen Fähigkeiten gemäß zu artikulieren, und wird ihn zu wachsender Selbständigkeit führen. Den Kapiteln sind Fragen beigegeben, die das eigene Gespräch anregen. Natürlich wird nur lateinisch geredet, und damit kein neusprachliches Wort zu fallen braucht, werden die wichtigsten, vor allem die modernen Wörter und Begriffe als Bild veranschaulicht. Darüber freut sich ein visuelles Gedächtnis, und so wird die internationale Sprachenvielfalt derer überwunden, die sich am Gespräch beteiligen. Für alle Fälle steht ein Vokabular (in beiden Richtungen) und eine Tabelle der lateinischen Verbformen bereit.

Der andere Schwerpunkt liegt auf dem Grammatik-Anhang. Ohne jede Systematik und Vollständigkeit werden die wichtigsten Regeln der Nominal- und Verbalsyntax von der Sprechsituation her knapp vorgeführt: "Was muss ich grammatisch wissen, um dies oder das zu äußern?" Auf diese Weise kann sogar die Grammatik lebendig werden; piper und sal helfen mit munterem grammatischen Geplauder.

An den beigefügten Lesestücken, meist antiken Autoren entnommen, kann man schließlich die eigenen Fähigkeiten erproben, muss es aber nicht, schon gar nicht bei der ersten Begegnung mit PIPER SALVE. Aber einen kurzen lateinischen Brief an den abgereisten Gesprächspartner zu schreiben, das wäre schon etwas Feines.

Dem Leser dieser Zeilen wünschen Pfeffer oder Salz - piper salve - ein herzhaften Zugreifen und wohlschmeckendes Genießen beim Erleben lebendigen Lateins, und daß sie den Pep jetzt auf Latein begrüßen: Piper, salve!

Klaus Sallmann

Prefazione

Cosa si fa con pepe e sale? Si insaporisce, si rende gradevole, si prepara una specialità. Sì, è proprio così: questo libro vuole essere utile, nel fare del latino una delizia, una „chicca" che si scioglie in bocca. Ciò però è possibile solo, se la lingua degli antichi Romani viene attualizzata, resa viva e parlata.

In pratica, non avete in mano un libro scolastico, che insegna da zero la lingua: questo è compito della scuola. Qui si danno per scontate una certa dimistichezza con la grammatica latina, una discreta conoscenza dei vocaboli e, preferibilmente, anche un po' di esperienza con alcuni facili testi latini. Come portare a fiorire questi germogli di conoscenza? Di questo si occupa PIPER SALVE, e solo di pari passo con l'entusiasmo per la lingua viva cresceranno le competenze linguistiche. Questo libro è nato dall'esperienza della „Settimana Latina Europaea", che si svolge da dieci anni nel paesino di Amöneburg, nell'alta Assia, ed è stato arrichito di anno in anno grazie all'apporto di studenti liceali e universitari, di docenti e professori e di persone dalle più svariate attività professionali, che si sono dedicate nel loro tempo libero a rinfrescare il loro - solo apparentemente - dimenticato latino, gustando così il vero „otium".

PIPER SALVE è dunque di casa in corsi estivi e per il tempo libero, ma anche - cosa che ha stupito persino gli autori - sulla scrivania di insegnanti e professori che si sono aperti alla dimensione del latino parlato. In certa misura, PIPER SALVE è adatto anche agli autodidatti, per esempio per chi desidera prepararsi a una „settimana latina" o rielaborare le conoscenze ivi acquisite.

Tuttavia rappresenta certamente un paradosso volersi appropriare del latino parlato senza un interlocutore. Proprio in questa direzione si muove PIPER SALVE, che si fonda completamente sul dialogo e su situazioni reali. Il cuore del metodo sono i tredici colloqui con i loro sottocapitoli: essi offrono varie possibilità espressive e modelli di semplici strutture linguistiche che permettono di formare brevi frasi o facili dialoghi per imitazione spontanea. Il moderatore darà a ciascuno l'occasione di esprimersi in proporzione alle sue capacità e lo condurrà a una sempre maggiore autonomia. Ogni capitolo è seguito da domande che fungono da spunto per un dialogo personale. Ad ogni buon conto è disponibile un vocabolario italiano-latino/ latino-italiano e una tabella delle forme verbali.

La seconda parte del metodo è costituita da un'appendice grammaticale: senza alcuna pretesa di sistematicità e completezza - termini del resto piuttosto estranei a PIPER SALVE - vengono brevemente presentate le principali regole della sintassi nominale e verbale incontrate nei varii dialoghi, secondo il criterio: „Cosa devo sapere di grammatica per esprimere questo o quel concetto?". In questo modo persino la grammatica può prendere vita; Piper e Sal la ravvivano con allegri commenti.

Infine si possono mettere alla prova le proprie capacità confrontandosi con le letture, per lo più prese da autori classici, che concludono questo libro. Si può, non si deve, specialmente non al primo incontro con PIPER SALVE. Ma potrebbe essere invece un esercizio costruttivo e divertente scrivere una lettera in latino ai nuovi amici conosciuti durante una vacanza-studio.

Al lettore di queste righe Piper e Sal augurano di servirsi con coraggio e di godersi di gusto il latino vivo.

Klaus Sallmann (traduzione di Veronica Picotti)

Préface

PIPER SALVE - Qu'est-ce qu'on peut bien faire de ça, du poivre et du sel? épicer un mets, lui donner meilleur goût, préparer un plat de choix. Oui, c'est cela: ce livre a pour but de mijoter si bien le latin qu'il en fonde dans la bouche. Mais pour y arriver, il faut ramener la langue des anciens romains, à vrai dire une langue tout-à-fait normale, dans notre présent, l'utiliser et la parler, en un mot, lui faire prendre vie. Ce n'est donc pas un manuel d'enseignement du b a ba de la langue que vous avez entre vos mains; - ça, c'est du domaine de l'école. Un peu de grammaire latine, un peu de vocabulaire, cela doit être considéré comme chose acquise, une certaine expérience de textes latins simples serait aussi la bienvenue.

Mais comment faire pousser ces petits germes qui sommeillent encore au fond des esprits? C'est là toute la science de PIPER SALVE. Et une fois la passion pour le latin vivant réveillée, alors cette langue dite morte deviendra une langue familière et la compétence linguistique latine ne cessera de croître à vive allure. Ce livre est né de la pratique. Il a été conçu lors des *«Semaines latines européennes»* qui ont lieu chaque année à Amöneburg, dans la Haute-Hesse, (parler latin, cuisiner romain) et s'est continuellement enrichi de nouvelles expériences depuis 1992. C'est aux élèves que nous devons ces anneaux de croissance, aux étudiants, aux hommes et aux femmes de professions variées qui ont retrouvé dans leur mémoire des connaissances latines apparemment oubliées, aux personnes du troisième âge qui ont découvert le loisir véritable.

C'est donc dans les loisirs et les cours d'été, dans les universités populaires et partout où des activités culturelles sont organisées, c'est donc là que PIPER SALVE a fait son nid, mais on le trouve aussi - à la surprise et à la joie des auteurs - sur le bureau des professeurs de latin des lycées et des chargés de cours des universités qui souhaitent apporter à leur expérience une nouvelle dimension, celle du latin parlé. Dans une certaine mesure, PIPER SALVE convient aussi aux autodidactes, du moins pour se préparer à une semaine latine ou à un cours de conversation ou pour réviser les connaissances acquises.

Certes, c'est un paradoxe que de vouloir acquérir le latin parlé sans interlocuteur. Car la méthode de PIPER SALVE repose intégralement sur le dialogue et la conversation en situation réelle. Les treize colloquia avec leurs subdivisions sont le cœur de l'ouvrage. Ils constituent des modèles qui permettent de s'exprimer par imitation spontanée. L'animateur donnera à chacun l'occasion de formuler ses phrases selon ses facultés et le conduira à une indépendance de plus en plus grande. Les différents chapitres se complètent de questions qui incitent au dialogue personnel. A toutes fins utiles le manuel comporte un vocabulaire (dans les deux sens) et un tableau des formes verbales latines.

Le second point important est constitué par l'appendice grammatical. Il présente brièvement, sans aucun souci de sytématique ni d'intégralité, les principales règles de la syntaxe nominale et verbale à partir de la situation vécue du dialogue: «Que dois-je savoir en grammaire pour exprimer telle ou telle chose?» Sous cette forme, même la grammaire peut être vivante: rien d'un traité austère que le support grammatical de piper et sal mais plutôt une gentille petite causerie menée allègrement.

Le livre se termine par des morceaux de lecture, le plus souvent des extraits d'œvres des auteurs antiques, qui permettent de mettre ses propres connaissances à l'épreuve. Cependant ce n'est pas une nécessité, et en tout cas pas dès la première rencontre avec PIPER SALVE. Mais écrire une petite lettre à son interlocuteur après le départ, ce serait une bonne chose. Mordez à belles dents dans ce fruit appétissant, savourez de bon cœur ce miroton bien mijoté, vivez l'expérience du latin vivant, c'est ce que poivre ou sel - piper salve - vous souhaitent, cher lecteur. Et l'esprit du latin, tout ce qui en fait son piment, c'est en latin maintenant qu'il faudra le saluer: Piper, salve!

Klaus Sallmann (traduction française par Madeleine Roubeix)

Preface

Piper salve: Here are pepper or salt! What use are they? They can spice up foods, or make their flavour better or even change them into delicacies. This little book aims to stir up such an appetite for Latin that the Latin tongue sitting in your tongue will practically do somersaults of delight. This can happen if we draw the language of the Romans like a popular and approved language right up to our times - if we let it into our lives and use it in conversation. In this little book, you don't have on hand a methodology of teaching Latin right from the basics. The beginning level belongs to the schools! No, no - you need to have some knowledge of Latin grammar and also a certain acquaintance with words. Moreover, it is preferable if you have already read some of the simpler Latin authors.

As to the process which will bring those schoolday seedlings to full flower, PIPER SALVE will cleverly care for that! Yes indeed! As soon as that lust for living Latin comes over you, your knowledge of that language (a dead language? What a lie!) and your ability to speak it will sprout up all by themselves. This little book emerged from the experience of the 'Latin Weeks of Amöneburg' called "Speak Latin and Cook the Roman Way", a yearly event that has been going on for a decade in Amöneburg (Hessen) in Germany. Since 1992, the book has been constantly revised and expanded. For corrections and developments, we can thank students and enthusiasts who took part in the 'Latin weeks', men and women of various professions longing for a Latinity which they thought had passed away, and the seniors, who were opening a path for themselves to a meaningful leisure.

And so where is PIPER SALVE available? In summer gatherings and seminars, of course, and in popular education, and wherever people have an opportunity together to expand their knowledge. And finally, PIPER SALVE, to the surprised delight and satisfaction of the authors, is also found in the offices of teachers of Latin who advance to the living use of the Latin tongue. PIPER SALVE also, to a certain extent, helps those who learn by themselves for themselves, especially those who have taken part in seminars, and who either mentally retrace the conversations, or prepare conversations.

But it is incongruous to try to speak Latin without someone with whom to talk. In fact, the method of PIPER SALVE entirely depends on conversations and actual opportunities for conversing. In the middle of the book are thirteen conversations with designated parts. These provide examples of speaking and conversing so that those who read them, or rather recite them, may imitate them as far as they can. The leader will see to it that each one takes part in the interchange accordingto his ability, so that little by little and relying on his expressive powers the person speaks of his own accord. Added to the chapters you will discover sentences and questions ready-made for the purpose of eliciting new and genuine conversations. However, so that nothing is lacking, we have provided a vocabulary and a paradigmatic table of verb-forms.

The other important element - besides the conversations - is the grammatical appendix. Although we have spurned a rigid system and full detail, the most significant elements of syntax pertaining to nouns and verbs are explained in order to supply those points which are necessary for people conversing or asking questions. "Which connectives should I use to indicate this or that?" And so grammar too shall be revived - so long as PIPER SALVE spice up savory conversations.

With the readings, selected mostly from ancient authors, which are placed at the end of the book, readers can test their Latin powers, if they wish. But they do not have to do this, especially if they are encountering PIPER SALVE for the first time. But if they would at least be able to write a short Latin letter to a fellow-participant who has gone back to his homeland in the meantime, they would really achieve something praiseworthy . More advanced readers will find in the epilogue further material on the method used. But our spices pepper or salt - piper salve - wish a hearty appetite and delicious flavour to everyone who has read up to this point, as long as they enjoy living Latin: and PEPPER wants to be greeted from now on in Latin - "PIPER SALVE" or hello pepper!.

Klaus Sallmann (English version by Terence Tunberg)

CAPVT PRIMVM

SALUTATIO

SALVTATIO

St.=Stephanus
Mi.=Michael
Cl.=Claudia
An.=Anna

Primus particeps advenit.

St.: Salve!

Mi.: Salvete!

St.: Quid est tibi nomen?

Mi.: Michael est mihi nomen. Esne tu Stephanus?

St.: Sum. Tu primus advenisti. Unde venis?

Mi.: Hammaburgo venio.

St.: Quo vehiculo iter fecisti?

Mi.: Tramine ferriviario adveni.

St.: Tibi primo conclave tuum monstrabo.
Deinde domum quoque tibi monstrabimus. Veni!

Michael cum Stephano in primum tabulatum ascendit.

St.: Hoc est conclave tuum. Est conclave unius lecti. Insunt lectus, mensa, sella, armarium. Etiam labellum adest. Hic sunt sapo et mantele.

Mi.: Gratias tibi ago. Prospectus e fenestra mihi placet.


St.: Revera pulcher est. Hodie caelum serenum est et sol splendet.


Mi.: Videsne fluvium ibi prope vicum?


St.: Video.


Mi.: Quid est ei nomen?


St.: *Amana* vocatur.



tramen



conclave



tabulatum



lectus



mensa



sella



armarium


labellum


sapo


mantele


fenestra


caelum

Salve *[salva sis / salvus sis]*! - **Salvete** *[salvae sitis / salvi sitis]*!

Quid est tibi nomen? (**Quis** vocaris?) - **Michael** est mihi nomen. (**Michael** vocor.)

Unde venis? - **Hammaburgo [Roma / Lutetia / Francofurto / ex America** ...] venio.

Quo vehiculo venisti? - **Tramine ferriviario** *[autocineto / aeroplano / birota / navi* ... *]* veni.

Vides**ne** fluvium prope vicum? - **Video**.

Nunc Stephanus Michaeli clavem conclavis dat.

St.: Hac clavi etiam ianua domus nostrae aperitur.

Mi.: Gratias tibi ago. Ubinam balneum est?

St.: Balneum iuxta conclave est. Tibi monstrabo.

Stephanus Michaeli balneum monstrat.

Mi.: Exspecta me paulisper!

Michael balneum intrat. Stephanus exspectat. Paulo post Michael revenit.

Mi.: Nunc mihi domum monstra!

Michael et Stephanus descendunt. Stephanus fores aperit.

St.: Haec est cenatio. Hic postea cenabimus. Mensae iam exstructae sunt.

Mi.: Quando cena erit?

St.: Erit hora octava. Ibi in refrigeratorio potiones sunt. Si vis, sume aliquid!

Michael aquam sumit.

St.: Ceterum, telephonum hic iuxta portam est, si velis hodie cum parentibus telephonare.

Mi.: Optime! Nam etiam cum amico meo telephonare volo.

Stephanus et Michael aliud conclave intrant.


St.: Hoc est quasi medianum domus nostrae. Hic etiam televisorium est. Si vesperi aliquid spectare vis, huc veni!

Mi.: Gratias tibi ago, sed in praesenti nihil spectare mihi in animo est. Malo foras in hortum ire.


St.: Bene! Ergo nunc foras exeamus.

Mi.: Ubi colloquia erunt?


St.: Institutiones in alio aedificio erunt, quod tibi postea monstrabimus.




clavis




ianua




balneum




domus



cenatio




cena




refrigeratorium




potiones




telephonum



porta



medianum



televisorium

Ubi balneum est? - Balneum **iuxta conclave** [**in pedeplanis / in secundo tabulato / apud cenationem** / ...] est.

Quando cena erit? - Erit **hora octava** *[post quindecim minutas / ...]*.

Ubi institutiones erunt? - Institutiones **in alio aedificio** *[in mediano / in aula / in horto / ...]* erunt.

Estne hic etiam telephonum? - **Est**. Telephonum ante cenationem situm est.
Visne cum parentibus telephonare? - **Certe volo.**

Quo nunc ibimus? - Ibimus **foras in hortum**.

Si vis (Sis), **sume** aliquid! - **Libenter**, gratias tibi ago.

Iam proxima advenit. Puella est. Michael eam salutat.

Mi.: Salva sis, Claudia!

Cl.: Salvus sis, Michael! Quomodo vales?

Mi.: Optime valeo. Quomodo tu?

Cl.: Satis bene. Paululum fatigata sum.

St.: Salve, Claudia!

Cl.: Tu salvus sis!

St.: Iamne Claudia tibi nota est, Michael?

Mi.: Iam. Nos eandem scholam frequentamus.

St.: Tu, Claudia, quo vehiculo venisti?

Cl.: Autocineto veni. Parentes me huc advexerunt.

St.: Quando advenistis?

Cl.: Ante dimidiam horam advenimus.

St.: Fuitne iter iucundum?

Cl.: Fecimus iter valde pulchrum, sed magnum. Hac de causa paululum fatigata sum.

St.: Ubi parentes tui sunt?

Cl.: Sunt in cafeo. Ibi cafeam et placentam sumere voluerunt.


St.: Nonne cum iis placentam edere vis?


Cl.: Volo, sed cafeum postea adibo. Antea sarcinas in conclave meum portare volo.


St.: Conclave tuum in pedeplanis situm est. Est conclave duorum lectorum. Ibi cum alia quadam puella habitabis. Anna tibi conclave monstrabit.


Cl.: Gratias vobis ago.



fatigatus


schola



vehicula



autocinetum



parentes





cafeum


cafea


placenta


sarcinae


pedeplana


velum


vallis

Quomodo vales? - **Bene** valeo [**satis bene / mediocriter** valeo / **male** valeo (**miser** sum)]. **Quomodo tu**? - **Ego quoque bene** valeo.

Iamne Claudia tibi nota est? - **Iam** *[nondum]*.

Quando advenisti? - **Hora prima** (**secunda**, **tertia**, **quarta**, **quinta**, **sexta**, **septima**, **octava**, **nona**, **decima**, **undecima**, **duodecima**) *[meridie / post meridiem / vesperi / (media) nocte]* adveni.

Fuitne iter ***iucundum***? - Fecimus iter ***valde pulchrum, sed magnum***.

Ubi parentes tui sunt? - Sunt **in cafeo**.

Nonne placentam edere vis? - **Volo** *[nolo]*.

Anna Claudiae conclave monstrat. Claudia vela fenestrae retrahit et fenestram aperit.

Cl.: Prospectus e fenestra in vallem valde pulcher est.

An.: Ita est.

Cl.: Quis altera puella est, quae mecum una habitabit?

An.: Est puella Italica. Bononia venit. Laura vocatur.

Cl.: Iamne advenit?

An.: Nondum advenit. Hora quinta postmeridiana adveniet.

Cl.: Quota hora nunc est?

An.: Est hora quarta et dimidia.

Interim Stephanus Michaelem in hortum ducit. Ibi plantas inspiciunt.

Mi.: Quae est haec arbor?

St.: Est pirus. Fructus pirum appellatur. Pira autem nondum matura sunt.

Mi.: Quando matura erunt?

St.: Medio mense Augusto. Etiam mali hic crescunt. Tibine mala placent?

Mi.: Non nimis placent. Praefero pruna et persica. Crescuntne hic persica quoque?

St.: Nescio. Nondum vidi.

Claudia et Anna foras veniunt.

Cl.: Quid agitis?


Mi.: Hortum inspicimus.


An.: Vultisne nobiscum in cafeum ire?


Mi.: Ego libenter vobiscum veniam.


St.: Ego quidem Lauram in statione ferriviaria exspectabo.


Anna, Claudia, Michael cafeum intrant. Stephanus autocineto ad stationem ferriviariam vehitur. Ante stationem feliciter aream stativam invenit et autocinetum statuit. Stationem intrat et indicem traminum inspicit. Tramen Laurae hora quinta minuta tertia exspectatur. Nunc paulo ante horam quintam est. Stephanus tramen Laurae exspectat. Tramen ad tempus venit.



hortus



planta



arbor



fructus



pirus/pirum



malus/malum



prunus/prunum


persicum


vehi


statio ferriviaria


area stativa


index traminum

Quis puella est, quae mecum habitabit? - **Est Laura**, puella **Italica**.

Iamne advenit? - **Nondum** advenit. [**Iam dudum**!]

Quota hora est? - Est **hora quarta et dimidia** *[quinta / ...]*.

Quae est haec arbor? - Est **pirus** *[malus / prunus / ...]*.
Quando pira *[mala / ...]* matura erunt? - **Mense Augusto** *[Septembri / ...]*.
Crescunt**ne** hic persica *[cerasa / ...]* quoque? - **Nescio** *[etiam]*.

Vultis**ne** nobiscum in caffeum *[ad forum / in museum / ...]* ire? - **Libenter** vobiscum veniemus. *[In praesenti **nolumus**.]*

Quid agitis? - Hortum **inspicimus**. [**Ludimus**. / **Colloquimur**. / ...]

COLLOQVAMVR:

1) *Salutavistine hodie iam amicam tuam aut amicum tuum? Sin minus, optima nunc datur occasio!*

2) *Unde tu venis? Tune ibi natus es, ubi nunc habitas? Qua ex regione parentes vel avii tui venerunt? Quis nostrum iter longissimum fecit?*

3) *Eheu! In conclavi meo lampas deest! Estne in conclavi tuo? Quid aliud ibi est? Quid deficit? Suntne in conclavi tuo:*
... mensa scriptoria, computatrum, telephonum, lampas, pegmata (tabulata), tabulae (imagines), televisorium, radiophonum, casetophonum, horologium, ...?

4) *Quo vehiculo saepius uteris: tramine an birota? Quo vehiculo uti tibi plus placet: birota, autocineto, tramine, aeroplano an navi?*

5) *Tune saepe cum amicis telephonas an illis potius epistulas scribis?*

6) *Tune saepe cum parentibus itinera facis an mavis cum amicis vel solus itinerari?*

7) *Tune libenter foris sub divo versaris? Quid ibi agere soles? (Spatiaris/ambulas, birota veheris, natas, ...?)*

8) *Tu iter longum fecisti. Mavisne primum aliquid edere et bibere an aliquantulum dormire, requiescere, urbem visere?*

9) *Qui fructus/quae poma tibi plurimum placent? Quos flores amas? Qui flores in patria tua crescunt?*

10) *Quomodo Laura et Stephanus inter se salutant? Excogitate dialogum! (Stephanus Lauram iam anno praeterito noverat.)*

CAPVT SECVNDVM

IN DOMO

IN DOMO

Mi.=Michael
La.=Laura
Cl.=Claudia
An.=Anna
St.=Stephanus

Stephanus et Laura, qui modo autocineto adveniunt, ante domum sistunt. Laura descendit atque sarcinas suas ex receptaculo eximit. Anna et Claudia et Michael modo e cafeo reveniunt. Laura ac Stephanus iis occurrunt.

Mi.: Salva sis! Tune Laura es?

La.: Sum. Quid autem tibi est nomen?

Mi.: Michael mihi est nomen. Hae sunt Anna, praeceptrix nostra, atque Claudia, quae una mecum scholam frequentat Hammaburgi.

La.: Stephanus mihi antea in autocineto narravit vos iam advenisse.

Cl.: Tu, Laura, mecum in conclavi habitabis. Visne me tibi statim conclave nostrum monstrare?

La.: Libenter tecum veniam. Sarcinas enim statim deponere volo. Estne conclave pulchrum?

Cl.: Mihi valde placet. In pedeplanis situm est. Pulcherrimum vero prospectum e fenestra in vallem habemus.

An.: Nos interim ad forum ibimus. Cena hora octava in cenatione erit.

La.: Ubi cenatio est?

St.: Cenationem facile invenire potestis: descendite scalis e pedeplanis, deinde recta via ite et eam invenietis.


La.: Gratias tibi ago. Si quidem descriptione tua attamen non inveniemus, odorem sequemur.


St.: Optime! Nunc ergo valete!


Mi.: Bene valete!

Cl.: Valete!


La.: Valete amici! Fortasse nos quoque postea ad forum ambulabimus.



sistere



receptaculum


occurrere


praeceptrix/-tor


forum


scalis descendere


odor

Tune Laura **es**? - **Sum**. [**Non sum**. Sum Nina.]

Visne me tibi conclave nostrum **monstrare**? - **Volo**. *[**Libenter** tecum **veniam**. / Conclave **videre nondum volo**. Antea ad forum ire cupio.]*

Est**ne** conclave **pulchrum**? - **Valde pulchrum** est. [*Mihi **valde placet**. / Est conclave **pulcherrimum**. / Conclave **non tam pulchrum** est. / Mihi **non placet**. / Est conclave **squalidum** et **obscurum**.*]

Ubi cenatio est? - Cenatio **facile invenitur**: **descendite scalis e pedeplanis**, deinde **recta via ite** et eam invenietis.

Bene **vale**! - Bene **valete**!

Quando autocineto advenistis? - **Modo** *[**Ante duas horas**]* advenimus.

Laura et Claudia domum, deinde conclave intrant.

La.: Aperiamus fenestram paulisper!

Cl.: Bonum consilium! In utro lecto dormire mavis?

La.: Nescio. Nil refert. Quem tu praefers?

Cl.: Praefero istum in dextra parte, quia ibi mane radiis solis suscitabor. Suscitabulum meum enim oblita sum domi.

La.: Bono es animo! Ego suscitabulum mecum apportavi. Neque vero puto me id mane audituram esse, cum plerumque dormire malim quam suscitari.

Cl.: Ego vero talia semper audio. Si vis, te suscitabo.

La.: Optimum est consilium!

Cl.: Aliam autem rem te interrogare volo: tune studes?

La.: Etiam. Bononiae litteris classicis studeo, id est Latinis et Graecis.

Cl.: Quot annos nata es?

La.: Viginti tres annos nata sum. Quot annos tu habes?

Cl.: Septendecim annos habeo et adhuc scholam frequento, ut audivisti.

La.: Tune ceterum iam totam domum inspexisti?

Cl.: Nondum.


La.: Scire enim volo, ubi hic telephonum sit, ut parentibus dicam me bene advenisse.


Cl.: Puto telephonum infra ante cenationem situm esse.

La.: Nummisne an tessera telephonica opus est?


Cl.: O, hoc omnino nescio, sed exspecta - mihi enim est tessera telephonica, quae adhuc aliquantulum valet, continet duas tresve marcas. Si vis, sume tecum!


La.: Gratias plurimas! Tibi statim reportabo. Nunc telephonum quaeram.



monstrare


intrare



dormire


sol


suscitabulum



fenestram aperire


nummus




Bononia


suscitare


audire



interrogare


tessera telephonica

In **utro** lecto dormire mavis (**Quem** lectum tu praefers)? - **Nil refert**. *[Praefero lectum* ***in dextra parte (in sinistra parte)****.]*

Tune studes? - **Etiam**. *[**Non iam**. Studium iam finivi. / **Nondum**. Adhuc discipulus sum. / **Non** studeo. Studere mihi non placet. / ...].*

Quot annos nata es? [**Quot annos** habes?] - **Viginti tres annos** nata sum. *[**Viginti quinque (tredecim, duodeviginti, quadraginta, ...) annos** habeo.]*

Tune iam totam domum inspexisti? - **Nondum**. *[**Iam** inspexi.]*

Nummisne an tessera telephonica opus est? - Omnino **nescio**. *[**Nummis** opus est. / **Tessera telephonica** opus est.]*

COLLOQVAMVR:

1) *Describe domum in qua habitas: ubi est medianum, ubi cenatio, ubi balneum, culina, cubiculum ...? Suntne in domo tua etiam ... scalae, vestibulum, bibliotheca, tablinum, caminus, balneum pro hospitibus, cellarium, armarium, refrigeratorium, tabulae, statuae, ...?*

2) *Si dives esses, qualem domum tibi ipsi aedificares vel emeres? Domum antiquam an modernam, in media urbe an ruri sitam, magnifico horto an silva circumdatam?*

3) *Scisne, quomodo constructae sint domus Romanae? Tibine placeret in domo Romana antiqua habitare?*

4) *Quot annos habes <quot annos nata/-us es>? Adhucne scholam frequentas, studes an iam laboras?*

5) *Quis es? Narra nonnulla de te! Quis nostrum minima/-us (vel maximus/-a) natu est?*

6) *In festivitate quadam aliquem cognoscis. Quomodo eum (vel eam) salutas et quid interrogas?*

7) *Surgisne mane libenter? Quando dormitum ire soles? Tene cotidie suscitabulum an mater tua suscitat?*

8) *Quid iudicas de tesseris telephonicis? Praefersne telephona nummorum in locis publicis? Credisne brevi solum telephona tesserarum futura esse?*

CAPVT TERTIVM

COGNOSCERE ALTERVM

COGNOSCERE ALTERVM

Cl.=Claudia
La.=Laura

Cl.: Bononiae, ubi tu habitas, nondum fui. Ubi sita est?

La.: Sita est inter Mediolanum et Florentiam prope Apenninum montem.

Cl.: Estne pulchra urbs?

La.: Pulcherrima est et satis magna. Ipsa cum parentibus fere in media urbe habito. Est antiqua urbs Etrusca, quae postea imperio Romano tenebatur.
Pleraque aedificia quae hodie in media urbe sita sunt, saeculis decimo sexto et decimo septimo exstructa sunt. Sunt autem nonnulla etiam vetustiora.
Bononia imprimis propter porticus nota est, quarum ingens numerus exstat. Hac de causa ibi nemo pluviam timere debet.
Inveniuntur etiam inter domos pulcherrimi horti, ad quos autem aditus non semper patet, quia portae clausae sunt. Tune autem iam in Italia fuisti?

Cl.: Etiam. Semel cum parentibus Venetias et Veronam vecta sum. Venetiae mihi maxime placebant. Ibi non sunt autocineta, sed naviculae solum et cubiculatae. Praeterea pedibus eundum est. Verona quoque mihi placuit, quamquam ibi fere nihil vidimus praeter amphitheatrum atque podium Iuliae, in quo Romeum exspectabat.

La.: Si quando iterum in Italiam venias, me Bononiae visitare debebis. Tunc tibi totam urbem monstrabo.

Cl.: Nescio quando te visitare possim, quia Bononia a domo mea longissime abest. Tune ipsa iam saepe in Germania fuisti?

La.: Minime! Haec est prima occasio, qua diutius in Germania maneo. Saepius quidem iam cum parentibus autocineto per Germaniam in Belgium vecta sum, ubi cognati matris meae habitant.


Cl.: Quomodo autem Stephanus te cognovit?


La.: Stephanus amicam meam iam antea noverat, quam semel Bononiae visitavit. Hac occasione eum cognovi.


Cl.: Nunc rem intellego.


La.: Dic mihi: quibus rebus tu in schola maxime delectaris?


Cl.: Difficile dictu est. Mihi in schola satis multa placent, velut lingua Francogallica, Anglica, Latina, sed etiam mathematica et physica. Musicam quoque amo.



mons


urbs



aedificium



porticus



pluvia



Venetiae



amphitheatrum


podium (Romei et Iuliae)


navicula


cubiculata


pedes


parentes

Ubi Bononia sita est? - Bononia **inter** Mediolanum et Florentiam **prope** Apenninum montem sita est.

Estne pulchra urbs? - **Pulcherrima est** et satis magna.

Tune iam in Italia fuisti? - **Etiam**.
Tune iam saepe in Germania *[in Francogallia / in Italia / in Russia]* fuisti? - **Minime**! Haec est **prima occasio**. *[**Iam bis** (ter) in Germania fui.]*

Quomodo Stephanus te cognovit? - Stephanum **per amicam meam** cognovi, quam semel visitavit.

Quibus rebus tu maxime delectaris? - **Multa** me delectant *[mihi placent]* velut **linguae**, **ars moderna**, **musica**, **athletica**, **mathematica**, **astronomia**, ...

CAPVT TERTIVM

La.: Mathematicam ego in schola non nimis amabam, quia mihi plerumque taediosa erat. Linguae et ars figurativa et musica mihi multo plus placebant. Scisne etiam instrumento musico modulari?

Cl.: Violino modulari primo paululum didici, sed sonus mihi non placebat. Hanc ob rem nunc tibia canere disco. Tibiam etiam mecum apportavi.

La.: Optime! Nam ego cithara modulor. Citharam meam etiam mecum habeo. Fortasse una aliquid exercere poterimus.

Cl.: Nonnullas notas musicas pro tibia et clavili apportavi, ut exercerem, sed nihil pro cithara. Nescio an ea, quae apportavi, facile cithara modulari possis.

La.: Conabimur. Mihi autem notae musicae nonnullorum canticorum popularium modernorum sunt, quae tibiae et citharae adaptare poterimus. Tibine placet musica popularis quoque?

Cl.: Sunt multa, quae mihi satis placent. Nec omnia vero tam amo: musica, quam frater meus semper audire solet, terribilis est.

La.: Qualis musica est?

Cl.: "Hard-Rock" vocatur. Maximus strepitus est quem omnino novi! Cum frater in cubiculo suo musicam audit, tota domus tremit.

La.: Talis frater mihi quoque est - vel erat. Nam interim ad musicam minus clamosam transiit.

Cl.: Te felicem! Est igitur adhuc spes etiam in fratre meo . . .

La.: Sine dubio! Ego autem aliam musicam apportavi.


Cl.: Quando exercere volumus?

La.: Hodie vesperi circiter horam octavam propono. Quid dicis?


Cl.: Hora octava, ni fallor, cena erit.


La.: Ah, recte dicis! Ergo postea conveniemus. Tibine hora nona placet?


Cl.: Optimum tempus erit.





mathematica



physica



music


ars figurativa



violinum



tibia



cithara


clavil


notae musicae


strepitus


tremere


frater

Scisne instrumento musico modulari? - **Violino (clavili, cithara)** modulari **scio**. *[Tibia (tuba, cornu, saxophono, lituo Gallico ...) canere* ***scio****. / Instrumento musico modulari* ***nescio****, pro dolor!]*

Tibine **placet** musica popularis quoque? - Musica popularis mihi **multum placet** ***[non displicet / non tam placet]***.

Qualis musica est, quam frater tuus audit? - Illa musica "***Hard-Rock***" vocatur.

Quando exercere volumus? - **Hodie vesperi circiter horam nonam**. ***[Hodie vesperi ante cenam / Cras mane post ientaculum / ...]***

Cur (quam ob rem, qua de causa) non iam violino modularis? - Non iam violino modulor, **quia** sonus mihi non placet.

COLLOQVAMVR:

1) *Ubi tu habitas? Estne magna urbs an vicus parvus an oppidum? Suntne ibi quoque domus antiquae an tantummodo aedificia moderna? Placetne tibi regio, in qua habitas, an mavis alibi vivere?*

2) *Ubi mavis habitare? In magna urbe an ruri an in parvo oppido, in Francogallia, Helvetia, Austria, Germania, Italia, Britannia, Australia, America septentrionali, ...?*

3) *Quo usque adhuc itinera fecisti? Iamne totum mundum cognovisti? Iamne fuisti in Italia, in Iaponia, in Russia, in Civitatibus Foederatis Americanae, in Aegypto, in Graecia, in India? Quod iter tibi maxime placuit?*

4) *Tune quoque instrumento musico modulari scis? Praefersne musicam modernam an classicam? Quid tibi in schola plurimum placet? (Num pausae?!)*

5) *Placetne tibi schola vel officium, quod geris?*

6) *Quis instrumentum musicum attulit? Fortasse postea convenire poterimus ad modulandum.*

7) *Tune libenter concentus musicae visitas? Quos cantatores et quos greges musicae maxime amas?*

8) *Tune saepe ad theatrum is? Iamne fabulam Romei et Iuliae vidisti? Tibine placent fabulae musicae velut "Hair" vel "Cats"? Tune libenter pelliculas in cinematographeo spectas?*

CAPVT QUARTVM

INTER CENAM

INTER CENAM

Mi.=Michael
An.=Anna
St.=Stephanus
La.=Laura
Cl.=Claudia

Mi.: Hem! Iam fere hora octava est. Cena nos exspectat.

An.: Recte dicis. Statim domum reverti debemus.

St.: Nolite nimis currere! Decem minutae adhuc restant et tam longinqua domus non est.

Amici ad domum vadunt et cenationem intrant.

St.: Venite! Hic mensa quattuor locorum libera est. Considite!

Cl.: Sumus vero quinque.

Mi.: Ego sellam ex alia mensa apportabo.

St.: Apporta quaeso etiam cultrum, fuscinulam, poculum!

Mi.: Faciam.

La.: Primos cibos ***Septimanae Latinae*** sumpturi sumus .... sed non Romanos, ut opinor.

St.: Nondum!


Mi.: Annum praeteritum in Civitatibus Foederatis Americae (*U.S.A.*) degi. Ibi bis terve in die cibos calidos edunt. Iam ad ientaculum ova frixa et perna atque crustula et fructus apponuntur. Prandium in schola erat.


An.: Sicut in Britannia.


Mi.: Sed scio in America illum morem Britannicum non ubique valere. Mihi quidem placuit.


Cl.: Quid ultro tibi placuit?


Mi.: Comitas magistrorum et condiscipulorum - semper multum tempus habebant ad colloquendum et ad explicandum. Aedificia scholae et gymnasia mihi etiam valde placuerunt.



ientaculum



cena



mensa



sella



mappula



lagoena



poculum


catinus


culter


fuscinula


cochlear


ligula

Ubi annum praeteritum degisti? - Annum praeteritum **in Civitatibus Foederatisis Americae** [**Britannia / Italia / Francogallia** / ...] degi.

Quid tibi in America *[Britannia / Italia / Australia / ...]* maxime placuit? - **Comitas** magistrorum et condiscipulorum. *[**Aedificia scholae** et **gymnasia** / ...]*

Quid ultro tibi placuit? - **Comitas magistrorum et condiscipulorum** - semper multum tempus habebant ad colloquendum et ad explicandum. **Aedificia scholae et gymnasia** mihi etiam valde placuerunt.

Quando primos cibos Romanos sumemus? - Primos cibos Romanos **die Martis** *[**die Lunae** / **die Mercurii** / ...]* sumemus.

Quot minutae ad cenam restant? - Restant **decem** *[**fere viginti**]* minutae.

La.: Ante quattuor annos commutationem discipulorum Italicorum et Germanicorum participavi. Ibi omnes institutiones horis antemeridianis fieri dicuntur. Sed revera non ante horam primam et quadrantem postmeridianam finiuntur. itaque Germani sero prandent. non ante horam secundam. Multae familiae omnino numquam una prandium sumunt praeter solam cenam inter horam sextam et septimam vespertinam. Fame paene perii.

St.: O te pauperrimam! Ecce cena nostra! Visne incipere?

Cl.: Gratias ago. sed malo Annae trullam porrigere. Incipe. quaeso. Anna!

An.: Ergo incipio.

Mi.: Haec est cena Francogallica, ut mihi videtur: primum iusculum. deinde caro cum holeribus vel acetaribus. tum caseus. postremo dulcia.

An.: Unde haec scis?

Mi.: Aliquando Lutetiae in caupona optima cum parentibus fui. quod non oblitus sum. Tum novem decemve annos natus eram.

St.: Quis vestrum cibos Romanos parare scit?

Cl.: Nescio veros cibos Romanos parare. sed praecepta discere volo. ut amicis quidem cibos Romanos offerre possim.

An.: In feriis interdum cibos simplices paravi velut oryzam cum lycopersicis et acetaria.

St.: Lycopersica vero Romanis nondum nota erant. Ex America enim in Europam importata sunt sicut patata et mays.

La.: Romani vero nesciebant. quid praetermitterent!

St.: Fortasse. sed multa alia bona iam cognoverunt velut ficos. dactylos. ....

Mi.: Tune revera putas dactylos esse cibum bonum? Mihi quidem non placent.


St.: Mihi quidem placent. sed de gustibus non est disputandum.

Cl.: Quando coquere incipiemus?


St.: Cras inde ab hora decima antemeridiana, in culina unusquisque laborem suum habebit.


La.: Quando prandium paratum erit?


St.: Inter horam primam et secundam postmeridianam. Sed adhuc nemo coquus fame periit.



trulla


coquus



oryza



lycopersicum



iusculum



caro


holera


legumina


acetaria


caseus


dulcia


frumentum

Visne incipere? - **Libenter volo**. *[**Gratias ago, sed malo** Annae trullam porrigere. Incipe, quaeso, Anna!]*

Quis vestrum cibos Romanos parare ***scit***? - **Ego** aliquot praecepta ***scio***, quae iam cum magistro nostro experti sumus. *[**Nescio** veros cibos Romanos parare, sed praecepta discere volo, ut amicis cibos Romanos quidem offerre possim.]*

Quando incipiemus? - **Cras inde ab hora decima antemeridiana**.

Quando prandium paratum erit? - **Inter horam primam et secundam postmeridianam**.

Unde haec **scis** (quomodo cena Francogallica fieri soleat)? - Semel cum parentibus **Lutetiae in caupona optima fui**.

COLLOQVAMVR:

1) *Quota hora prandium, ientaculum, cenam sumere soles? Solesne cum tota familia cenare?*

2) *Quid libenter edis et bibis? Quas potiones praefers in ientaculo, prandio, cena?*

3) *Quos cibos peregrinos cognovisti? Quid interest inter mores cenandi peregrinos et patrios?*

4) *Quid de cibis vegetariis iudicas? Tibine placent cibi sine carne parati?*

5) *Quos fructus diligis? Amasne tu ficos et dactylos an pira et mala praefers?*

6) *Tune saepe in terris peregrinis versaris? Quos cibos novos ibi cognovisti?*

7) *Scisne, quos cibos homines in antiquitate et in medio aevo paraverint?*

8) *Si tibi cena pro amicis praeparanda esset, quid illis apponeres?*

CAPVT QVINTVM

DE FAMILIA

DE FAMILIA

Ge.=Georgius, amicus patris Marci
He.=Helena, amica patris Marci et uxor Georgii
am.=amita Annae

Anna et Marcus hodie nuptias celebrant. Post actum matrimonii omnes in villam extra urbem conveniunt ut celebrent, uxori et marito gratulentur, cenam et placentam nuptialem consumant.

Ge.: Suntne hae duae sedes iam occupatae?

am.: Puto liberas esse, saltem neminem ibi sedentem vidi, ergo considite quaeso!

Ge.: Gratias tibi agimus!

am.: Vosne estis cognati Marci?

He.: Minime, immo amici patris Marci sumus. Tu autem Annae satis similis es. Esne cognata?

am.: Revera amita eius sum.

He.: Esne tu fortasse ea amita quae Bruxellis habitat?

am.: Unde scitis me Bruxellis habitare?

He.: Anna iam multum de te narravit.

am.: Utinam bona!


He.: Tantummodo optima. Dixit se te iam saepe visitasse et sibi plurimum placere Bruxellas, praecipue cauponas esse optimas.

am.: Id quidem verum est, sed semper queritur quod Bruxellis omnia vesperi tam mature clauduntur ac Belgas videri iam hora octava dormire.

He.: Hoc nobis quoque iam dixit. Tune vero hic omnes hospites novisti? Ut verum confiteamur, nobis - praeter familiam Marci et Annam - fere nemo antea notus erat.

am.: Ego solum familiam Annae satis bene novi, quia mater Annae soror mariti mei est, ut verisimiliter iam scitis. Eos vero consobrinos meos (parentes Annae) non saepe video, cum raro in Italia verser.

Ge.: Tune autem scis quis illa parva puella sit, quae modo ad proximam mensam stat?



Familia Annae

Suntne hae duae sedes iam **occupatae** *[adhuc **liberae**]*? - **Non sunt occupatae**. *[Pro dolor **liberae non iam sunt**. / **Puto liberas esse**.]*

Vosne estis cognati Marci? - **Minime**, immo **amici** patris Marci **sumus**.

Esne tu **cognata** Annae? - Revera **amita** eius **sum**.

Esne tu **ea amita, quae** Bruxellis habitat? - **Sum**. *[**Non sum.**]*

Unde scitis me Bruxellis habitare? - (Hoc **scimus, propterea quod**) Anna iam multum de te narravit.

Tune vero hic omnes hospites **novisti**? - **Ego** solum familiam Annae satis bene **novi**.

am.:	Est filia fratris Annae, cui nomen Helena.
Ge.:	Quot annos habet?
am.:	Fere unum annum et dimidium habet.
Ge.:	Pro aetate sua iam satis grandis est, iamne scit loqui?
am.:	Adhuc balbutit, sed iam nonnulla verba dicere scit velut "mamma", "papa", "bellus", "volo", ...
Ge.:	Ergo hoc nondum tam periculosum esse videtur, sed fiet, cum didicerit "nolo" dicere.
am.:	Revera! Vosne ceterum fratres quoque Marci novistis? Habet ni fallor tres.
He.:	Eos sat bene novimus. Sedent ibi cum parentibus ad mensam in medio oeco, id est soror et duo fratres.
am.:	Ah! Nescivi Marco esse sororem quoque. De propinquis Marci consobrini mei nihil adhuc mihi narraverunt. Quinam quis est?
He.:	Ille capillis flavis longis Alexander est et habet ni fallor viginti duo annos, soror, illa veste viridi, Claudia vocatur et duodeviginti annos habet, Stephanus autem, puer ille capillis brevibus nigrisque cum camisia rubra, qui modo surgit, quindecim annos natus est.
am.:	Claudiane ac Stephanus adhuc scholam frequentant?
He.:	Ita est. Claudia vero hoc anno examen maturitatis superabit, si omnia quadrata currunt, et Stephanus decimum annum scholarem agit.
am.:	Decimum? - Ergo adhuc per tres alios annos scholam frequentabit. Estne ita?
He.:	Recte dicis. Nos vero quidem praeter familiam atque amicos Marci hic fere neminem novimus. Tu certe melius scis qui novi consobrini Marci (propinqui Annae) sint.
am.:	Vellem, sed plerosque tam raro video ut non de omnibus bene recorder. Novi quidem avunculum Annae, quippe qui maritus meus sit.
Ge.:	Eum nondum cognovimus. Nonne adest?
am.:	Scilicet adest! Sed in festis mihi semper effugere solet. Ubinam versatur? - - - In praesenti eum non conspicio, fortasse in culinam abiit spectatum quid nobis apponeretur, quem locum maxime amat. Soror eius est mater Annae, quam certe iam cognovistis. Praeterea illa domina vetus, quae modo cum parentibus Marci loquitur, avia Annae est.
He.:	Estne igitur socrus tua?

Familia Marci

Quot annos habet? *[**Quot annos** natus/nata est?]* - **Fere unum annum et dimidium** habet. *[**Duos annos** habet. / **Vicesimum annum** agit. / **Undecim annos** nata est. /...]*

Iamne scit loqui? - **Adhuc** balbutit, **sed iam** nonnulla verba dicere scit velut "mamma", "papa", "bellus", "volo", ... *[Loqui **nondum** scit. / **Iam dudum** loquitur.]*

Vosne ceterum fratres quoque Marci ***novistis***? - Eos **sat(is) bene *novimus***.

Quinam quis est? - **Ille capillis flavis longis Alexander** est, **soror, illa veste viridi, Claudia** vocatur, **Stephanus** autem est **puer ille capillis brevibus nigrisque cum camisia rubra**.

am.: Minime, sed mater patris Annae. Socrus mea huc venire pro dolor non potuit, cum aegrotaret. Adest autem etiam proavia Annae, quae est avia matris Annae et mariti mei. Nunc vero nonagesimum octavum annum agit. Illa adhuc vivacissima est et hac occasione sola aeroplano Londinio huc venit.

Ge.: Bombax!!! Incredibile est! Eam nondum cognovimus. Quam ad mensam sedet?

am.: Id nescio. Revera dixit se nolle cum omnibus "vetulis" considere, quam ob rem puto eam ad mensas iuvenum in primo tabulato transiisse.

He.: Ah, est illa! Nunc intellexi. Nam nobis ex primo tabulato descendentibus antea obviam venit alta voce de scalis querens. Tamen noluit auxilium accipere, sed dixit - lingua Anglica - se potius mori velle quam artem athleticam deserere. Revera omnes isti "vetuli" minores natu sunt quam illa. Curnam Londinii habitat?

am.: Maritus eius, qui iam ante aliquot annos mortuus est, per multos annos praeses cuiusdam sedis argentariae Francogallicae Londinii erat et post eius mortem ipsa sola Londinii mansit, etiamsi de arte coquendi Anglica continenter queritur.

Ge.: Poterit quidem exsilium "culinarium" in Francogallia petere.


am.: Revera mihi iam iocose dixit se in meridie Britanniae habitare, ut cum liberet in Francogalliam confugere posset. Nos etiam, cum iunior esset, saepius Bruxellis visitabat - plerumque vero sine marito. Nunc vero non iam libenter longiora itinera facit - ut ipsa dicit, quam ob rem nos eam Londinii saepius visitare deberemus, sed occasiones nobis raro dantur. Praeterea fere numquam domi est, modo hic amicam visitat, modo illic theatrum, modo concentum adit. Anna quidem mihi dixit se proxima aestate iter Londinium facere velle, etiam quia in Britannia numquam antea fuit. Solum propter linguam timet, cum non bene Anglice loquatur.

Ge.: Marcum autem scio satis bene Anglice loqui.

am.: Ergo difficultates maiores non erunt. Praeterea in Britannia multa videnda sunt, quibus etiam sine scientia linguae Anglicae delectabuntur. Puto vero proaviam Annae - quomodo eam novi - eos per omnia musea Londinii tracturam esse. Hoc mecum facere iam semel conata est et nisi me acriter defendissem .... Uticumque postea tam fatigati erunt, ut malint dormire quam Anglice loqui.




nuptiae / matrimonium




placenta nuptialis




sponsa - uxor




sponsus - maritus




villa




oecus




sedes / sella




considere



aeroplanum



minor - maior natu



parvus - grandis - magnus



iuvenis - vetus - senex

Claudiane ac Stephanus adhuc scholam frequentant? - **Ita est**. **Claudia** vero hoc anno ***examen maturitatis superabit*** et **Stephanus** ***decimum annum scholarem agit***.

Nonne adest? - **Scilicet** adest! *[**Non**, quia venire non potuit.]*

Ubinam versatur? - Fortasse **in culina** versatur.

Estne igitur **socrus tua**? - **Non est**. *[**Minime**, sed mater patris Annae. / **Est**.]*

Quam ad mensam sedet? - **Ad illam mensam in medio oeco** sedet. *[Id **nescio**. / Revera **nescio**, ubi considerit.]*

Curnam Londinii habitat? - (Ibi adhuc habitat, **quia**) maritus eius per multos annos praeses cuiusdam sedis argentariae Francogallicae Londinii erat.

COLLOQVAMVR:

1) *Quot fratres tibi sunt? Estne tibi soror quoque?*

2) *Iamne matrimonio alicuius cognati tui interfuisti? Tibine placent convivia familiaria?*

3) *Videsne saepe cognatos tuos?*

4) *Quomodo diem natalem tuum celebrasti? Quis aderat? Solesne multos homines ad dies natales tuos invitare?*

5) *Suntne multae rixae inter te et sororem?*

6) *Visne aliquando matrimonium inire et liberos habere?*

CAPVT SEXTVM

DE REBVS COTIDIANIS

DE REBVS COTIDIANIS

De vestimentis I

Li.=Lisa
Gu.=Guntherus

Guntherus et Lisa ferias aestivas hoc anno ad mare Adriaticum peragere volunt. Nonnullis diebus, antequam proficiscuntur, deliberant, quae vestimenta secum ferre debeant.

Li.: Dic mihi quae vestimenta nobiscum feramus necesse sit!

Gu.: Iam nunc? Proficiscemur die Sabbati et hodie tantum dies Martis est.

Li.: Bene scio! Debebo autem omnia adhuc lavare et camisias saltem levigare.

Gu.: Sine cogitem! Subligaria balnearia nobiscum ferre debemus.

Li.: Scilicet! Tu duo subligaria balnearia tecum feres, equidem vestem balnearem et subligaria balnearia colligam. Pilleis balneatoriis ut puto nobis opus non erit.

Gu.: Recte dicis. Sed amicula balnearia quoque nobiscum feramus. Praeterea equidem binas bracas breves et singulas bracas prolixas mecum ferre in animo habeo.

Li.: Solummodo singulas bracas prolixas? Melius existimo te trinas bracas prolixas ferre.

Gu.: Bene, bene! Ergo binas bracas prolixas feram. Putasne camisias quattuor satis esse?


Li.: Non puto. Feramus septem camisias.


Gu.: Septem camisias pro duabus septimanis? Nolo equidem semper camisias induere!


Li.: Fac taceas! Sunt semper occasiones, in quibus camisia tibi opus erit. Etiam strictoriam laneam tecum ferre debes. - Quae vestimenta ego mecum feram? Puto unam vestem muliebrem et unam gunnam singulasque bracas breves sufficere. Fortasse etiam singulas bracas prolixas mecum feram. Quid ais? Debeone vestem novam mecum portare?


Gu.: Non necessarium puto, quia plerumque in litore erimus. Vestis nova vero nimis elegans mihi videtur.

Li.: Sed fortasse oppidum elegantissimum visitabimus vel in caupona nobili cenabimus.



vestimenta



levigare



subligar balneare



vestis balnearis



pilleus balneatorius



amiculum balneare



bracae breves


bracae prolixae


camisia


strictoria lanea


vestis muliebris


gunna

Dic mihi, quae vestimenta nobiscum feramus necesse sit! - Sine cogitem! **Subligaria balnearia** nobiscum ferre debemus.

Putasne camisias quattuor satis esse? - Quattuor camisiae **certe** sufficient. [**Non puto**. Feramus septem camisias.]

Quae vestimenta ego mecum feram? - Puto **unam vestem muliebrem** et **unam gunnam singulasque bracas breves** sufficere. Etiam **subligaria balnearia** nobiscum ferre debemus. **Amicula balnearia** quoque nobiscum feramus. *[**Pilleis balneatoriis** ut puto nobis opus **non** erit.]*

Quid ais? **Debeone** vestem novam **mecum portare**? - **Non puto**, quia mihi nimis elegans videtur. *[**Si vis, porta** vestem novam **tecum**.]*

Gu.: Si vis, fer vestem novam tecum!

Li.: Etiam pelusiam et thoracem laneum in vidulum mittam.

Gu.: Putasne revera ad mare Adriaticum hoc anno tam frigidum fore?

Li.: Nemo scit.

Gu.: Maioris momenti utcumque tibialia et subligaria erunt.

Li.: Vestes dormitorias quoque et camisias nocturnas ne obliviscamur! O, nunc paene oblita sum vestes dormitorias et camisias nocturnas lavare. Cras eas statim in machinam lavatoriam mittam.

Gu.: Puto etiam nonnulla subligaria mea lavanda esse. Ubi ceterum omnia impilia mea sunt? Recordor plura me habuisse ...

Li.: Si melius armarium inspiceres, invenires!

Gu.: Armaria iam bene inspexi, sed non inveni.

Li.: Fortasse etiam adhuc aliquot paria foris de funiculis pendent, ut siccentur.

Gu.: Omniane vestimenta necessaria iam enumeravimus? Solummodo calceamenta deficere videntur. Ego duo paria calceorum et soleas mecum ferre volo.

Li.: Ita ego quoque faciam. Nunc primo aliquid edamus, anteaquam de aliis rebus statuamus.

COLLOQVAMVR:

1) *Tune quoque iam aliquot diebus, antequam proficisceris, cogitas, quid tecum feras, an omnia paucis horis ante profectionem colligere soles?*


2) *Si cras in Americam septentrionalem (Australiam, Russiam, ...) proficiscereris, quae vestimenta tecum ferres, quae domi relinqueres? Si iter in Suetiam (Italiam, Britanniam, ...) facerem, ... mecum portarem.*


3) *Tu iter in Africam facere vis, sed tibi tantum riscus parvus est. Solum quinque vestimenta tecum ferre poteris. Elige!*


4) *Tune libentius in montes an ad mare itinera facis? Quae vestimenta ibi necessaria sunt?*


5) *Video, quod tu non vides: est nigrum - Suntne bracae Guntheri? (cfr. "de ludis", p. 120)*


pelusia



thorax laneus



tibialia



subligar



vestis dormitoria



camisia nocturna



calceamenta


calcei


soleae


digitabula


riscus


vidulus

Putasne revera ad mare Adriaticum hoc anno tam frigidum fore? - **Nemo scit.** *[**Puto**, quia hieme etiam illic frigidum esse solet. / **Non puto** frigidum fore.]*

Quid aliud in vidulum mittamus? - **Etiam pelusiam et thoracem laneum** in sarcinam mittamus.

Quid deficit? - Deficiunt solummodo **calceamenta**.

Ubi ceterum impilia mea sunt? - Si **armarium** inspiceres, invenires! *[Fortasse **foris de funiculis pendent**, ut siccentur.]*

Quot paria calceorum tecum feres? - Ego **duo paria** calceorum et soleas mecum ferre volo.

De vestimentis II

Guntherus et Lisa cubiculum intrant.

Li.: Hora octava drama musicum incohabit et nunc iam hora sexta et dodrans est. Ergo vestes mutare debemus.

Gu.: Iamne? - Hm. Quid induam?

Li.: Synthesim vestiariam tuam scilicet!

Guntherus armarium aperit.

Gu.: Ubi est pallium? Solum bracae insunt.

Li.: Pallium de fulcimine vestiario in balneo pendet. Etiam colobium ibi est.

Gu.: Ah! Gratias tibi ago. Nunc vero camisia candida et impilia apta desunt. Focale an papilio aptior est?

Li.: Papilio.

Gu.: Mihi vero focale plus placet.

Li.: Papilio autem multo nobilior est.

Gu.: Ubi sunt calcei nigri?

Li.: Sunt in armario calceorum, ubinam alibi? Praeterea eos purgare deberes.

Gu.: Satis nitent.

Li.: Saltem pulverem deterge!

Gu.: Bene! Qua veste tu indueris?

Li.: Veste vespertina caerulea induar. Eam iam ex armario prompsi. Modo tibialia serica apta et calceos meos quaero.


Gu.: Etiamne gemmas tuas feres?

Li.: Quas gemmas? - Ah, scilicet! Catenam auream atque auricularia mea geram.


Guntherus et Lisa iam induti vestibulum intrant.


Gu.: Foris frigidum est. Idcirco amiculum meum prehendam.

Li.: Elige autem amiculum illud nigrum!



synthesis vestiaria



pallium



fulcimen vestiarium


colobium



impilia



focale



papilio


armarium calceorum


vestis vespertina


gemmae


catena


auricularia

Ubi est pallium? - Pallium **de fulcimine vestiario in balneo pendet**.
Etiam colobium **ibi** est.

Focale an papilio aptior est? - **Papilio**. **Papilio** enim nobilior est (quam focale).
[Mihi autem **focale** plus placet / Mihi **focale** aptior videtur.]

Ubi sunt calcei nigri? - Sunt **in armario calceorum**, ubinam alibi?

Quid induam? - **Synthesin vestiariam tuam** scilicet! *[Indue synthesin vestiariam!]*

Qua veste tu indueris? - **Veste vespertina** caerulea induar.

Gu.: Ubi est?

Li.: In armario quod est in cubiculo. Prehende etiam petasum et amictorium collare. Equidem pallam pelliceam et mitellam pelliceam induam. Vidistine digitabula mea?

Gu.: Hac in mensa iacent.

Li.: Gratias!

Gu.: Umbella nobis opus non est, quia nubes in caelo non sunt.

Li.: Credisne? In nuntiis televisificis quidem dixerunt hodie vesperi caelum mutatum iri et pluere posse.

Gu.: Ego revera non puto ita fore. Praeterea vix sub divo ambulabimus, cum autocinetum sub theatro deponamus.

Lisa et Guntherus e domo exeunt et autocineto ad theatrum melodramaticum proficiscuntur. Subito Lisa exclamat:

Li.: Gunthere, redire debemus! Nam oblita sum perulae, in qua tesserae aditus insunt!

Gu.: Scisne saltem, ubi eam reliqueris?

Li.: Antequam abiimus, eam in mensula deposui quae est in vestibulo, ni fallor.

Gu.: Melius erit, si tu ipsa ibis ut eam quaeras. Festina autem, ne tardius adveniamus!

COLLOQVAMVR:


1) *Quomodo in theatro (pro matrimonio) vestiri soles?*
2) *Tune libenter vestimenta emptum is? Saepene vestimenta nova emis?*


3) *Qui colores vestimentorum tibi plus placent: colores obscuri an clari?*


4) *Scisne, qualia vestimenta homines in medio aevo vel apud Romanos gesserint? Quid censes de vestimentis illorum temporum?*

5) *Quid censes de vestimentis modernis? Tibine placent vestimenta nuperrime delineata?*


6) *Tune iam ipse vestimentum confecisti? Scisne suere vel texere?*



petasus



amictorium collare



palla pellicea


mitella pellicea



suere



umbella



perula


tessera


toga


tunica


stola


sandalia

Ubi est? - **In armario quod est in cubiculo**.

Etiamne gemmas tuas feres? - **Quas gemmas**? Ah, scilicet! **Catenam auream atque auricularia mea** geram. *[**Scilicet** me **auro et gemmis** ornabo. / **Gemmas domi relinquam**, ne eas perdam.]*

Vidistine digitabula mea? - (**Vidi**.) Hac in mensa iacent.

Scisne, **ubi** perulam tuam reliqueris? - Antequam abiimus, eam **in mensula** deposui **quae est in vestibulo**.

PRAEPARATIO ITINERIS

Ur.=Ursula
ma.=mater Ursulae

Ursula iter in Italiam facere sibi proposuit. Ibi nonnullos amicos visitabit. Nunc cogitat, quid in vidulo ponat.

Ur.: Duas septimanas in Italia ero. Mihi opus erit multis rebus. Ibi sunt nonnullae discothecae. Qua re armillam, anulos, riscum in vidulo ponam. Da mihi armillam, quaeso! Gratias.

ma.: Quid tibi opus est armilla? Sunt res maioris momenti. Aestas iam praeteriit. Est mensis October. Fortasse iam frigidum erit et pluet. Noli oblivisci thoracem laneum et pallium!

Ur.: Loqueris ut avia nostra. In Italia paene semper caelum serenum est. Sol ridet. Calidum est.

ma.: Ante aliquot annos tempore autumni Romae versabar. Caelum per totam septimanam nubilum erat. Propter imbrem ne Forum Romanum quidem visitavimus. Umbella valde egebis, sed carebis si domi reliqueris.

Ur.: Ita sit, ut dixti. Sed umbellam, si revera pluet, ibi emere potero. At nunc bono consilio egeo: Omnia mecum ferre non potero. Spatium in vidulo non tam magnum est, sed multis rebus cotidie utor. Necessaria sunt exempli gratia radiophonum et casetophonum.

ma.: Plaustro tibi opus erit, ut omnia portes.

Ur.: Quid autem domi relinquam?

ma.: Noli utcumque relinquere pecuniam neque syngraphum viatorium neque tesseram traminis!

Ur.: Recte dicis. Ubi syngraphum meum deposuisti?


ma.: Ego syngraphum tuum ne tetigi quidem. Certe adhuc eodem loco iacet quo tibi e manu elapsus est, cum e Britannia revertisses anno praeterito. Iamne inspexisti omnes loculos mensae scriptoriae tuae?


Ur.: Nondum. Etiam tessera deversoriorum iuventutis recorder oportet.


ma.: Mihi quidem dixisti te apud amicos pernoctaturam esse.


Ur.: Ita est, sed fortasse per aliquot dies circumvehemur ideoque in deversoriis iuventutis pernoctabimus.



discotheca



armilla



anulus



sarcinae


radiophonum



casetophonum



phonocaseta


pecten


unguentum


dentifricium


loculus


plaustrum

Quid mecum in Italiam feram? - Feras tecum **umbellam** et **thoracem laneum** et **pallium**!

Quid *[Cur]* tibi opus est armilla? - In Italia **multae discothecae sunt**. **Qua re** armilla et anulis egeo.

Quid mihi domi relinquendum est? - **Armillam et casetophonum** domi relinquere poteris.

Ubi syngraphum meum deposuisti? - Ego syngraphum tuum **ne tetigi quidem**.

Iamne inspexisti omnes loculos mensae scriptoriae tuae? - **Nondum**. *[**Iam**, sed non inveni.]*

COLLOQVAMVR:

1) *Si cras in Americam septentrionalem proficisceeris, quid praeter vestimenta tecum ferres?*

2) *Septimana proxima cum tribus amicis sphaera Montgolfierana (Ballon) proficisceris, ut Oceanum Atlanticum transvoletis. Sphaeram vestram autem nimis onerare periculosissimum esset. Quid vobiscum portabitis?*

3) *Eheu! Post quintum diem animadvertitis sphaeram vestram plus helii perdere quam antea calculastis. Iam dimidiam partem harenae deiecistis, quamvis duae tertiae partes viae restant. Aliquid ponderis vobis deiciendum est! Quid deicietis?*

4) *Cras mane in insulam Madagascariam proficisceris. Enumera decem res maximi momenti, quas tecum portare oportet!*

5) *Tu proxima septimana cum amico proficisceris, ut birota Aegyptum transveharis. Bisaccio birotae paucum restat spatium. Quid tecum feres?*

6) *Tibi in insula deserta vivendum est. Tres res tecum portare poteris. Quid colliges? Elige!*

7) *Memoriam exerceamus! Profecturus sum. Dentifricium in vidulo pono. - Iste dentifricium in vidulo ponit. Ego saponatum ... (cfr. "de ludis", p. 121: fui in pantopolio)*

CAPVT SEPTIMVM

DE NATVRA

DE NATVRA

Ad.=Andreas
Cm.=Clemens
Ag.=Angela
co.=colonus

Andreas, qui iam aliquot dies tussi laborabat, modo convaluit. Mane Clementem fratrem ad se vocat.

Ad.: Clemens, ecce iam sol splendet et foris calidum est. Libet paululum deambulare. Veniesne mecum?

Cm.: Gaudeo, Andrea, quod te tam bono animo esse video. Scilicet tecum veniam! Iam adest ver, diffugerunt nives et frigor hiemis. Sed soror nostra parvula quoque nobiscum esse vult.

Statim Angela puella fratribus adstat.

Ag.: Recte dicis. Cum neque pluat neque ventus sit, vos comitabor. Prata aprica mihi valde placent. Quo ire vultis?

Ad.: Paulisper primum per silvam nostram ambulare mihi in animo erat, deinde per prata vicina, ut videamus quae animalia et qui flores hoc vernali tempore iam se ostendant.

Andreas Clemens Angela hilares incedunt et floribus vernalibus in margine semitae crescentibus delectantur.

Ad.: Angela, noli decerpere nec primulas nec ramos salicum! Nonne nobis propositum est ut semper naturae parcamus?


Ag.: Recte dicis, Andrea! Ecce cavernae cuniculorum vel vulpium! Taliane animalia adhuc quiete hiemali fruuntur?


Cm.: Bona Angela, si tacuisses, philosopha mansisses! Nonne scis nec cuniculos nec vulpes hieme quiescere?


Ag.: Lacertam autem et scarabaeos hieme quiescere certo scio. Hoc in schola didicimus!


Ad.: Etiam ranae sicut omnia reptilia hieme quiescunt. Praeterea alia quoque animalia hieme raro foras veniunt et diversis modis sibi antea parant quod hieme comedant.


Cm.: Recte dicis! Exempli gratia certe scitis sciuros et alia quoque animalia autumno nuces nucleosque colligere, ut hieme, cum sub nive nihil inveniunt, non fame moriantur.



ver (vernalis)



aestas (aestivus)



autumnus (autumnalis)



hiems (hiemalis)



calidus (calescere)


frigidus (frigescere)



apricus


foris (domi)


nix (ningit)


sol (splendet)


ventus (flat)


pluvia (pluit)

Libet paululum deambulare. **Veniesne** mecum? - Scilicet tecum veniam. *[Tecum* ***venire*** *hodie* ***non potero****.]*

Quo ire vultis? - Primum **per silvam nostram** ambulare mihi in animo erat, deinde **per prata vicina**.

Nonne nobis propositum est ut semper naturae parcamus? - **Recte dicis**, Andrea!

Ecce cavernae cuniculorum vel vulpium! **Taliane animalia** adhuc **quiete hiemali fruuntur**? - Nonne scis **nec cuniculos nec vulpes hieme quiescere**?

Ad.: Insecta vero aut hieme moriuntur, quorum ovula tantum remanent usque ad ver, velut muscae, aut somno profundo hiemem transeunt, cum frigoribus se movere non possint.

Cm.: Nonnulla insecta iam in herba conspexi. Adhuc vero nimis frigidum est quam ut omnia foras veniant.

Ad.: Cave ne deterreas papilionem istum flavum!

Cm.: Ego iam satis cautus ero. At tu ne conculcaveris lumbricum istum! Est enim vermis perutilis.

Interim fratres cum sorore silvam intrant opacam.

Ad.: Age! Celerius progredimini, ne frigeamus!

Ag.: Sed ne nimis celeriter! Cupio enim aves silvestres exaudire cantantes: columbam et alaudam, passerem et fringillam. Doleo, quod noctuae, ululae, vespertiliones interdiu in lustris et nidis suis manent.

Cm.: Ne nimium exspectaveris, sororcula! Aviculae illae non omnes in silvis habitant ut picus et cuculus. Timeo ne aquilas vulturesque quidem non videamus.

Ad.: Nolite desperare! Fortasse falconem vel accipitrem videbimus.

Cm.: Falcones et accipitres autem in silvis raro versantur, cum plerumque in campis venentur. Nam ibi ex alto mures vel cuniculos melius conspiciunt.

Ag.: Estne verum, quod dicunt, falcones et accipitres tam bonos habere oculos ut e caelo acta diurna legere possint.


Cm.: Revera nondum vidi falconem legentem.


Ad.: Scilicet nondum vidisti, quia tam multa acta diurna in pratis iacere non solent. Sed Angela recte dixit. Incredibili enim modo omnia ex alto discernere sciunt subitoque, cum praedam velut murem conspiciunt, se tam veociter praecipitant, ut mus effugere plerumque non possit. Sunt enim falcones aves velocissimae.


Cm.: Sciunt falcones etiam in aere quasi stare alas citissime moventes. Ita mures non vident adesse avem rapacem et falluntur. Sed nolite iocari de rebus seriis! Audivistisne modo corvum crocitantem rauca et alta voce? Scitis quidem clamorem avium ceteris animalibus praesentiam inimicorum indicare.


Ag.: Nos neque hostes venimus neque lustra bestiarum turbare in animo habemus!


Cm.: Consentio, sed quis nuntiabit cervis, capreis, apris, sciuris nos naturae favere et omnibus animalibus et herbis, arbusculis, arboribus, fruticibus parcere?



frigus



pratum (gramen)


arbor - ramus



caverna - spelunca



lucus (luminosus)


silva (opaca)



insectum


scarabaeus


vermis - anguis


lumbricus


avis - avicula


ovum

Audivistisne modo corvum crocitantem rauca et alta voce? - Modo **audivi**. *[Equidem **non audivi**.]*

Scitisne clamorem avium ceteris animalibus praesentiam inimicorum indicare? - Scilicet **scimus**. *[Hoc adhuc **nescivi**.]*

Quis nuntiabit cervis, capreis, apris, sciuris nos naturae favere et omnibus animalibus et herbis, arbusculis, arboribus, fruticibus parcere? - Hoc **aves** certe **non** nuntiant.

Quid censetis? Bestiae fere omnes, et ferae et mansuetae, confidenter accedebant ad visitatores quaesitum numquid cibi haberemus. - **Verumne? Etiamne elephanti, camelopardales, simiae, hippopotami** Angelam nostram amabilem supplices adulati sunt? - **Etiam**.

Ag.: Sunt vero et animalia prudentiora. Cum parentibus nostris autumno anni peracti fui in horto zoologico. Quid censetis? Bestiae fere omnes, et ferae et mansuetae, confidenter accedebant ad visitatores quaesitum numquid cibi haberemus.

Cm.: Verumne? Etiam elephanti, camelopardales, simiae, hippopotami Angelam nostram amabilem supplices adulati sunt?

Ag.: Ita est. Paene eos manibus mulsi, sed, ut verum confitear, non ausa sum.

Angela, Andreas, Clemens statim consistunt in compito. Dextrorsum clivus surgit in saltus montium, ubi abietes, pini, piceae crescunt, sinistrorsum trames vergit in vallem, ubi virescunt quercus, fagi, fraxini, betulae. Deambulantes transiliunt rivulum virgultis et multa filice circumdatum. Aliquantum observant pisculos et ranas per aquam festinantes.

Cm.: Si mihi esset rete vel hamus, trutas captarem: fortuna favente salmonem quoque extraham!

Andreas valde ridet.

Ad.: Fac ne capias balaenam! Nonne commodius est pisces marinos congelatos emere? Praefero soleas et aringos, immo cammaros et sepias istis cyprinis et esocibus, qui stagna lacusque incolunt.

Tacet Angela, quia cibum piscarium prorsus odit. Tum tristi vultu:

Ag.: Scio te nullum piscem hic captare posse. Quid conspicitis in alveo rivi? Nihil nisi res abiectas: lagoenas vitreas, pyxides metallicas robigine deformes aliaque eiusmodi. Nonne animadvertistis sacculum plasticum foedissimum inter silices haerentem? Utinam homines desinant naturam polluere!


Cm.: En excipulum purgamentorum! Utinam ne ipsa silva fiat depositorium purgamentorum!

Dum loquuntur, viatores per lucum luminosum ad finem silvae perveniunt, ubi fluvius admodum latus praeterfluit. Qui cum ponte careat, per ponticulum pedestrem iuvenes et puella facile ripam ulteriorem attingunt. Nunc peragrant agros agricolarum. In campo saepto conspiciunt gregem boum pascentium.


Ad.: Ecce tauros nigros et albos!


Ag.: Equidem ne unum invenio taurum, sed vaccas crassas et lactiferas. Equos in stabulo esse puto ut sues et capras et interdum oves. Propius accedamus et ipsi videamus.

In fundo rustico a cane latrante et gallinis trepide pipantibus accipiuntur, dum feles quiritantes in horreum confugiunt. Iuxta aream patet stagnum.



papilio



vespertilio



mulcere



nidus



lustrum



arbuscula


frutex / virgultum


saepes (saeptus)


silex (lapis)


ponticulus pedester


excipulum rerum abiectarum


depositorium rerum abiectarum

Nonne commodius est pisces marinos congelatos emere? Praefero soleas et aringos, immo cammaros et sepias istis cyprinis et esocibus, qui stagna lacusque incolunt. - **Fortasse commodius** est pisces emere, **sed** si ipse piscaris, melius vides, num pisces sani sint.

Quid conspicitis in alveo rivi? - **Nihil** (conspicimus) **nisi res abiectas**: **lagoenas vitreas, pyxides metallicas robigine deformes aliaque eiusmodi**.

Nonne animadvertistis sacculum plasticum foedissimum inter silices haerentem? - Illud sacculum **iam vidimus**.

Ecce tauros nigros et albos! - Equidem **ne unum** invenio **taurum**, **sed vaccas crassas et lactiferas**.

Ag.: Quam venusti anseres! Quam nitida anas illa cum classe pullorum!

Cm.: Cygnos desidero et ciconias. Quam imperfectus est mundus noster!

Ad.: Mittas, quaeso, ironiam, Andrea! Fortunati venimus! En emamus ova et holera, si quae iam prostent; hic enim procreantur ista naturaliter neque veneno chimico tractantur. Doleo quod hac aetate poma desunt: mala, pira, persica non ante Augustum mensem offerentur.

Cm.: Patientia utere! Mox cerasia et pruna maturescent. Sed dic mihi, fratercule, quomodo res emptas domum transferamus!

Ad.: Tibi dicam. Oppidulum haud procul hinc abest. Eo nos conferemus, inde publica autoraeda longa usi citissime domum revertemur.

Ag.: Placet!

Ad.: Revera migrantibus nobis reditus longus esset. Convalescenti mihi tamquam aerumnae Herculeae nocebit, si pedibus rediremus.

Cm.: Non solum convalescenti!

Cum colono disputant de rationibus oecologicis in labores rusticos inferendis, ne aqua sub solo polluatur neve ea quae humo crescunt a condicione naturali alienentur.

Ad.: Quid tu censes de stercoratione, qua maxime aqua subterranea polluitur? Estne adhuc minuenda an agri his temporibus iam quam minime stercorantur?

co.: Ipse quam minimam stercorationem facio, tamen certae plantae sine stercoratione vix fructus ferunt vel fructus nimis parvulos, quos nemo emet.


Ad.: Praeterea certe non oportet contra omnes plantarum morbos venenum dari neve fructus postea venenis conspergi ut diutius durent.

co.: Consilia vestra saepius proferuntur et ipse operam dabo quantam potero; sed vobis pretia paulo maiora erunt accipienda et solvenda. Cibi naturales citius putrescunt et me damno quodam afficient.


Ad.: Ego non nescio quanti stet bona valetudo. Nonne existimas homines pretia maiora pro holeribus fructibusque salubrioribus soluturos esse?


co.: Certe non omnes solvent, quia non omnibus mala parva maculosa, in quibus interdum vermiculi inveniuntur, salubriora videntur quam illa bella formosa, quae venenis conspersa prostant.


(res) abiectae


compitum



fundus rusticus



horreum



grex - stabulum



pyxis - lagoena - sacculus



venenum (chimicum)


trames / semita


stagnum - lacus


piscina


rete - hamus


mansuetus - ferus

Dic mihi, **quomodo** res emptas domum transferamus! - Tibi **dicam**. Oppidulum haud procul hinc abest. Eo nos conferemus, inde publica autoraeda longa usi citissime domum revertemur.

Quid tu **censes de stercoratione**, qua maxime aqua subterranea polluitur? **Estne** adhuc **minuenda an** agri his temporibus iam quam minime stercorantur? - Ipse quam **minimam stercorationem** facio, **tamen** certae plantae sine stercoratione vix fructus ferunt vel fructus nimis parvulos, quos nemo emet.

Nonne existimas homines pretia maiora pro holeribus fructibusque salubrioribus soluturos esse? - **Certe non** omnes solvent. *[**Id non puto.** / **Fortasse** solvent.]*

COLLOQVAMVR:

1) *Quae animalia apud te domi (in patria tua) cognovisti? Suntne ibi etiam beluae periculosae velut leones, tigres, crocodili?*

2) *Tune scis voces avium silvaticarum distinguere?*

3) *Scisne quibus pedibus vaccae surgant: anterioribus an posterioribus?*

4) *Tune iam equitasti? Placetne tibi equitare?*

5) *Estne tibi domi canis vel feles vel aliud animal?*

6) *Qui flores tibi plurimum placent? Qui flores nunc apud te domi florent?*

7) *Quas arbores cognovisti? Scisne fagum et quercum distinguere? Suntne multae silvae in patria tua?*

8) *Quae animalia times, quae amas?*

9) *Quid tibi de usu venenorum contra morbos plantarum videtur? Putasne venena utilia esse ad morbos plantarum supprimendos?*

CAPVT OCTAVVM

DE EPISTVLIS SCRIBENDIS

DE EPISTVLIS SCRIBENDIS

Angelica Monicae Suae Plurimam Dicit Salutem

Gratias quam maximas tibi ago pro epistula tua, quam heri accepi. Te aegrotasse scripsisti. Utinam iam convalueris!

Quid in feriis agere in animo habes? Equidem una cum parentibus iter in Francogalliam faciam. Sed usque ad ferias aestivas adhuc per duas septimanas scholam frequentare debeo. Quando feriae in Bavaria incohabunt?

Illum librum, de quo nuper scripsisti, nunc perlego. Mihi valde placet.

Cura ut valeas!

Dabam Colonia a.d. V Kal. Iul. a. MXMII

Thomas Marco Salutem

S.V.B.E.E.Q.V.

Ad diem natalem meum celebrandum te invito. Festum erit pridie Id. Oct. et initium habebit hora quarta postmeridiana. Si vis, in domo mea pernoctare poteris. Si venies valde gaudebo. Responsum tuum exspecto.

Optime vale!

Dabam Moguntiaci Kal. Oct. a. MXMII

Erica Thomae Plurimam Dicit Salutem

Ex Sardinia tibi scribo, ubi nunc sum. Iter huc cum parentibus feci. Heri mane aeroplano Francofurto profecti sumus et iam ante meridiem advenimus. Tramine et navi vero iter duorum fere dierum fuisset.

Nunc autem sole et mari fruimur, quorum hic abundantia est. Habitamus non longe a litore maris in deversorio satis nobili. Sardinia mihi valde placet! Mare clarum est neque tam turbatum quam mare Britannicum. Etiam tempestas est optima. Praeterea fici iam maturae ac dulcissimae sunt, sed, cum ficos non ames, nullam tibi rapiam.

Parentes mei iam cogitaverunt autocinetum mutuari, ut paululum circumvehi atque omnia inspicere possemus.

Decem dies insuper manebimus.
Optime Vale!

stilus | **penicillus** | **stilus sphaeratus** | **cummi rasorium**

instrumentum acuminarium | **perforaculum** | **uncinatorium** | **charta**

epistula | **litterae** | **fascis cursualis** | **chartula**

Marcus Gaio **Salutem** (Dicit)
Gaius Annae Suae **Salutem**
Anna Silviae **Salutem Plurimam Dicit** *[S.P.D.]*

S.V.B.E.(E.)V. = *Si vales bene est, (ego) valeo.*

...

(**Bene** / **Optime**) vale!

Dabam Romae **ante diem** quintum Kalendas Maias **anno** MXMIII
Dabam Neapoli **a.d.**V Kal. Maias **a.** MXMIII
Dabam die tertio mensis Februarii anno MXMIII

Sabina Andreae Plurimam Dicit Salutem

Iam dudum tibi denuo scribere volui. Quid his diebus aestivis agis? Mihi quidem in praesenti examen linguae Anglicae mense Septembri futurum praeparandum est. Hac de causa feriis aestivis hoc anno domi manebo. In animo enim habeo proximo anno in Britannia studere. Iam rogavi ut locum studii Oxoniae (=Oxford) acciperem, sed nescio, an hoc fieri possit. Sin minus, Londinii studebo, ubi etiam nonnulli mihi sunt amici.
Quid novi de studio tuo?

Vale

Andreas Sabinae Suae Salutem

Gratias tibi ago pro litteris tuis, quas heri accepi. Te in Britannia studere velle nesciveram. Spero tibi vitam ibi placituram esse. Equidem ego hoc tempore omnibus negotiis vaco. Itaque mihi vacuum tempus est, ut legam, ut piscinam adeam, ut amicos conveniam, ut musicam colam. Mense Septembri per duas tresve septimanas Italiam lustrabo.

Quod ad studium pertinet, interim mihi nonnulla de mathematica ante initium novi semestris repetenda erunt.

Vale


Marius Gabrielae et Monicae Plurimam Salutem

Quomodo valetis? Ego satis bene me habeo, etiamsi his diebus paululum fatigatus sum. Nuper enim domicilium mutavi omniaque armaria mea, libros, mensas, sellas, lectum, vestimenta ceteraque in novam domum transportavi. Nunc quidem omnia rursus in ordinem redigere coepi. Nova vero inscriptio cursualis mea est haec:


Mario Buonarroti
Via delle Belle Arti 102
01045 Roma
Italia


Novus numerus telephonicus est: **(0039)-06-7856431**

Spero vos mihi mox esse scripturas. Optime valete!




tessera epistularis



inscriptio cursualis



arca cursualis



tabellarius



involucrum



liber



legere


scribere


telegramma


telecopiare / telecopiatorium


telephonum (telephonare)


diribitorium

Quid his diebus aestivis *[hiemalibus]* **agis**? - Mihi in animo est proxima septimana **in Britanniam** ***[Francogalliam / Lusitaniam / ...]*** **proficisci**. *[Domi paululum* ***lego****, paululum* ***scribo*** *atque* ***amicos visito****.]*

Quid novi de studio tuo? - **Studium meum optime progreditur**. Iam tertium annum ago et omnia examina magna cum laude absolvi. ***[His diebus studere vix possum****, cum in novum habitaculum transierim omniaque nunc ordinanda sint.]*

Quomodo valetis? - ***Optime*** *valemus.* ***[(Satis) bene*** *valemus. /* ***Bene*** *nos habemus,* ***etiamsi*** *paululum fatigati sumus.]*

CAPVT OCTAVVM

COLLOQVAMVR:

1) *Cum classi scholari Romae versaris. Pro dolor magister vester linguae Latinae aegrotat, qua de causa domi manere debuit. Scribite ei!*

2) *Sunt feriae aestivae et tu cum parentibus iter per Brasiliam (Americam, Australiam, Britanniam, ...) facis. Iamne amicae vel amico tuo chartulam inde scripsisti? Si nondum fecisti, scribe ei, quid ibi usque adhuc videris!*

3) *Amicos tuos ad diem natalem tuum invitare vis. Mitte eis invitationem!*

4) *Aliquis amicus te per litteras interrogavit quid aestate proxima factura/-us esses. Iamne ei respondisti?*

5) *Statuisti Commercium Epistularum participare. Heri inscriptionem cursualem puellae Australianae accepisti, cui statim epistulam mittere vis. Scisne iam quid ei scribas?*

6) *Amicus tibi de quodam professore linguae Latinae Iaponensi narravit, qui pro studentibus suis, qui in Europam venire velint, hospites quaerit. Tu libenter unum vel duos studentes recipias. Scribe ei epistulam!*

7) *Suntne tibi multi amici quibus epistulas mittis?*

8) *In hoc libello etiam litterae Ciceronis ad familiares insunt. Inspiciamus!*

9) *Ubi est proximum diribitorium cursuale?*

CAPVT NONVM

DE RE COQVINARIA

DE RE COQVINARIA I

Ur.=Ursula
La.=Laura
Ma.=Marcus

Ur.: Licetne iam scire quid hodie comesuri simus?

La.: Non omnia tibi dicemus, ut res maneat inopinata. Nam cibi quos paramus singulares sunt et in uno solo libro de re coquinaria inveniuntur.

Ur.: Iam curiosissima et intentissima sum. Revera mirifice redolet diversis condimentis ac vino. Dicite mihi saltem, quaeso, quaeso, quibus additamentis condimentisque usi sitis.

Ma.: Pertinacem puellam quae es! Sed bene, tibi nonnulla dicemus. Primo tibi dicam, quibus instrumentis coquinariis utamur: Ad coquendum nonnullae res necessariae sunt: Primum foco egemus, ut cibos calefaciamus, deinde caccabis et patinis opus est, quibus coquimus. Catinis cibi parati imponuntur. Cultro carnem aliasque res in frusta secamus, ligula vel ferula agitamus et movemus. In fretali frigimus. Trulla haurimus. Fuscinula frusta capimus, cochleari ius sumimus. Urna liquores continet. E calice potiones bibimus. Quid ultra scire cupis?

Ur.: Iam dixi me scire cupere quibus additamentis condimentisque uteremini.

Ma.: Si tibi dicam, statim scies, quid praeparemus, sed nolo te iam nunc omnia comperire. Solum nonnulla condimenta enumerabo, quibus utimur: piper salque iam novisti, quibus omnes fere cibos - praeter dulcia - condire solemus. Praeterea utemur aceto et melle, oleo et vino, ligustico, petroselino. ...

COLLOQVAMVR:


1) *Placetne tibi coquere? Quid tu libenter edis? Qui cibi tibi maxime sapiunt?*


2) *Laura libenter coquit. Michael multo libentius cenat quam coquit. Tamen hodie ambo in culina laborant ut cibos amicis parent. Ursula iam curiosa culinam intrat. Explica ei quomodo cibi parentur et coquantur!*


3) *Qui cibi tibi maxime sapiunt? Dic nobis quaesumus eorum praecepta coquinaria quoque! Qui cibi tibi non placent?*


4) *Quae instrumenta, additamenta, condimenta tibi ad cibos parandos necessaria videntur?*


5) *Libello inest dialogus inter PIPER et SALEM. Fingamus dialogum novum: Faciamus exempli gratia dialogum inter vinum et aquam!*



olla



caccabus


fretale



urna



trulla



ligula



cochlear


culter


fuscinula


catinus / catillus


ferula


calix

Licetne iam **scire**, quid hodie comesuri simus? - Tibi **non dicam**.

Quibus instrumentis coquinariis utemur? - Utemur **furno, cultro, patina, olla, trulla multisque aliis**.

Quae instrumenta coquinaria ad cibos coquendos necessaria sunt? - Necessarii sunt **caccabi, ligulae, cultri, fretalia, patinae**.

Quibus condimentis opus erit? - Opus erit **pipere, sale, origano, ligustico, gingibere**.

Quid ultra scire cupis? - **Iam dixi** me scire cupere, quibus additamentis condimentisque uteremini.

DE RE COQVINARIA II

IN CVLINA

Mi.=Michael
Ma.=Marcus
La.=Laura
Cl.=Claudia
St.=Stephanus
An.=Anna

Mi.: Quid hodie ad cenam parare in animo habetis?

Ma.: Hodie cena sex ferculis constabit: ad gustationem praecoquia, ova apala ac minutal marinum inferemus.

Mi.: Patata vero non inferetis, ut spero!

La.: Nequaquam! Nam Romani patata nondum noverunt.

Mi.: Patata enim non valde amo, nisi forte patata fricta scilicet. Mater mea semper patata depellata parat, quibus omnia deficiunt: sal, sapor, ...

La.: Mihi quidem patata depellata multum placent, praecipue cum sale et butyro.

Ma.: Mensae primae erunt caro agnina excaldata et bulbi.

Cl.: Ubi haec praecepta inveniuntur?

St.: Inveniuntur in libro Apicii, qui coquus notissimus erat apud Romanos. Ille Apicius primo saeculo post Christum natum vixit.

An.: De eo Seneca et Plinius multa narrant: fuisse luxuriosum et ingentem pecuniam pro cenis solvisse.

St.: Tamen cibi, quos in libro suo descripsit, optime sapiunt, si quidem quis bene coquere scit.


Mi.: Eruntne dulcia quoque in fine?


Ma.: Scilicet! Parabimus enim dactylos nucibus farsos cum melle, qui optimi sunt.


Mi.: Dactylos?! Dactylos non tam amo. Nonne aliquid aliud invenistis?

La.: Si vis, tibi dulcia e farina, lacte, melle conficiam in oleo fricta. Sed hoc longum erit.


Mi.: Sed multo melius sonat.



paropsis



lanx


repositorium



scyphus



poculum



mola



mortarium / pistillum


patata


ova frixa


persicum


malum


pirum


Quid hodie ad cenam parare in animo habetis? - Hodie cena **sex ferculis** constabit: ad gustationem **praecoquia**, **ova apala** ac **minutal marinum** inferemus. Mensae primae erunt **caro agnina excaldata** et **bulbi**.

Ubi haec praecepta inveniuntur? - Inveniuntur **in libro Apicii**, qui coquus notissimus erat apud Romanos.


Eruntne dulcia quoque in fine? - **Scilicet**! Parabimus enim **dactylos nucibus farsos cum melle**, qui optimi sunt.


Nonne aliquid **aliud** invenistis? - Si vis, tibi **dulcia e farina, lacte, melle** conficiam **in oleo fricta**. Sed hoc longum erit.

La.:	Similia adhuc in Italia inveniuntur, quae "Crescentine" vocantur, sunt autem salsa nec dulcia, sed optime sapiunt.
Mi.:	Licetne vos adiuvare?
An.:	Scilicet vobis licet. Nos adiuvare vobis semper licet.
Cl.:	Quid igitur nobis faciendum est? Iamne coquere coepistis?
St.:	Iam dudum! Tantam cenam parare multum consumet temporis: quattuor vel quinque horas. Quid vero vos iubeam facere? Ah, inveni: Mulsum praeparare necesse est. Accipite ergo magnam ollam, infundite vinum, addite mel, miscete bene ut mel dissolvatur.
Mi.:	Quantum mellis infundendum est?
St.:	Ad quattuor partes vini unam mellis addite!
Cl.:	Et quantum mulsi parandum est?
St.:	Parate circiter quinque litras! Hoc omnibus satis erit.
Mi.:	Vos interim quid iam fecistis?
Ma.:	Omnia additamenta coemimus, ut vides. Deinde ego iam carnem lavi et adipem dempsi.
St.:	Quid, Marce, de iure in carnem? Iamne praeparas?
Ma.:	Nondum. Videndum est mihi, quid addatur ... ah: "cepa, coriandrum minutum, piper, ligusticum, cuminum, liquamen, oleum, vinum, amulum."
Cl.:	Si vis, te adiuvabo. Mulsum enim iam paratum est.
St.:	Ego praecoquia parare incipiam. Mox ius in ova apala quoque faciamus oportet.
Ma.:	Quid ad ova apala facto opus est? Potero ego facere.
St.:	Agnina iamne coquitur?
Ma.:	Iam supra ignem imposui.
An.:	Ego iam dactylos enucleavi ut postea farcirem. Nunc nuces mihi frangendae sunt, quibus dactyli farcientur. An mavultis dactylos pipere farsos, ut in praecepto etiam proponitur?
La.:	Non, non! Melius nuces!





lac


butyrum





mel



cepa


uva



vinum



acetum


oleum


caro bubula (bos)


caro agnina (agnus)


dactylus


nux

Licetne vos **adiuvare**? - Scilicet vobis **licet**. Nos **adiuvare** vobis semper **licet**.

Iamne coquere **coepistis**? - **Iam** dudum! *[Non. **Nondum coepimus**.]*

Quid igitur nobis **faciendum est**? - **Mulsum praeparare** necesse est. **Accipite** ergo magnam ollam, **infundite** vinum, **addite** mel, **miscete** bene ut mel dissolvatur.

Quantum mellis infundendum est? - **Ad quattuor partes** vini **unam mellis** addite!

Et **quantum mulsi** parandum est? - Parate circiter **quinque** ***[unam et dimidiam / tres / quattuor / sex / septem / ...]*** litras! Hoc omnibus satis erit.

CAPVT NONVM

Ma.: Exspecta! Nuces ego frangam. Magna enim mihi est experientia, cum hoc semper domi faciam. Ubi est nucifrangibulum?

An.: Nucifrangibulum ego habeo. Ecce istud!

St.: Quis ceterum mustaceos faciendos curabit? Anna, quid de te? Si nihil aliud facere debes, te rogo ut eos praepares. Ego te adiuvabo.

An.: Libenter faciam. Estne tibi praeceptum in promptu?

St.: Ecce istud! Facillimum est: primum farinam musto conspergemus, deinde reliqua additamenta addemus. Opportunum erit massam e faece parare, cum levior sit et facilius coquatur. Deinde panicellos formabimus atque folia lauri supponemus. Postea leni igni per dimidiam horam in furno coquemus.

An.: Bene! Quot chiliogrammata farinae putas necessaria fore?

St.: Sumus triginta, ergo quinque chiliogrammata omnibus certe sufficient.

La.: Etiam bulbi tessellatim concidendi sunt. Quis faciet? ... Nemo?! Tunc ego concidam. Spero me non nimias lacrimas profusuram esse.


COLLOQVAMVR:


1) *Quae dulcia maxime amas? Amasne carnem / piscem / holera / legumina / poma / fructus?*


2) *Tune libenter coquis? Quos cibos praeparare scis?*


3) *Scisne aliquos cibos patriae tuae?*


4) *Iamne Romane coxisti? Narra nobis de experientiis tuis!*



coquere



frigere



assare



agitare / movere



infundere



concidere



holera


pullus


piscis


legumina


poma


nucifrangibulum

Vos interim **quid** iam **fecistis**? - Omnia **additamenta coemimus**, ut vides. Deinde ego iam **carnem lavi et adipem dempsi**.

Quid, Marce, de iure in carnem? **Iamne** praeparas? - **Nondum**. Videndum est mihi, quid addatur.

Quid ad ova apala **facto opus est**? Potero ego facere. - **Coquas** ova non nimis diu et **praepares** iusculum sicut in praecepto scriptum est.

Agnina **iamne** coquitur? - **Iam** supra ignem imposui.

Vultisne dactylos pipere farsos, ut in praecepto etiam proponitur? - **Non, non**! **Malumus** nuces!

DE RE COQVINARIA III

NONNVLLA PRAECEPTA COQVINARIA

GVSTATIO:

In ovis apalis ***(Apic. 7,19,3)*****:**

„piper, ligusticum, nucleos infusos, suffundes mel, acetum, liquamine temperabis."

praeparatio:
8 ova
50 g nucleorum pineorum
1 ligula ligustici viridis
1 ligula mellis
1 cochlear aceti
sal (pro liquamine)
Ius in ovis sic facies: Infundes nucleos pineos in aceto et melle. Addes ligusticum et sal. Interim coques ova dura. Cum cocta fuerint, ius superfundes et inferes.

Aliter caroetas ***(Apic. 3,21,2)*****:**

„sale, oleo puro et aceto."

praeparatio:
600 g carotarum
1 cochlear salis
4 ligulae olei
1 ligula aceti
Caroetas in aqua salsa coque. Cum coctae fuerint, adice oleum et acetum.

MENSAE PRIMAE:

Pullum Numidum ***(Apic. 6,9,4)*****:**

„pullum curas, elixas, lavas, laseras, piperas et assas. teres piper, cuminum, coriandri semen, laseris radicem, rutam, caryotam, nucleos, suffundis acetum, mel, liquamen et oleum, temperabis. cum ferbuerit, amulo obligas, pullum perfundis, piper aspergis et inferes."

praeparatio:
1 pullum (1-1.2 kg)
200 g caryotarum (=dactylorum)
100 g nucleorum pineorum
1/2 ligula aceti
1 ligula mellis
1 cochlear salis
1 ligula olei
1 ligula amuli

CAPVT NONVM

piper, cuminum, coriandri semen, ruta
Pullum curas, elixas (=coques in aqua), lavas, piperas et assas. Ius in pullum sic facies: teres piper, cuminum, coriandri semen, rutam, caryotas, nucleos pineos, adicies mel, oleum, sal. Coques 10 minutas. Pullum perfundes, piper asparges et inferes.

Ius in copadiis ***(Apic. 7,6,11)*****:**

„piper, ligusticum, petroselinum, cepullam, amygdala tosta, dactylum, mel, acetum, liquamen, defritum, oleum."

praeparatio:
1 kg carnis vitellinae
4 cepulae
150 g amygdalorum tostorum
200 g dactylorum
2 ligulae mellis
1/2 ligula aceti
2 cochlearia salis
0.25 l defriti (=musti ad tertiam partem decocti)
2 ligulae olei.
Ius in copadiis sic facies: dactylos, amygdala, cepulae cum petroselino, melle, aceto, defrito, oleo misces et 15 minutas coques. Interim copadia assas. Ius superfundes, fac, ut ferveat, et inferes.

Aliter bulbos ***(Apic. 7,14,2)*****:**

„Bulbos tundis, a quo ex aqua coquis, deinde oleo frigis. Ius sic facies: thymum, puleium, piper, origanum, mel, acetum modice et, si placet, modice liquamen. Piper aspargis et inferes."

praeparatio:
1 kg bulborum
3-4 cochlearia mellis
1 cochlear aceti
oleum
thymum, puleium, piper, origanum, sal
Bulbi elixantur, exprimuntur, deinde in oleo friguntur. Cum satis bene fricti fuerint, condimenta addito, maneant aliquantulum super ignem et infer.

Mustacei ***(Cato, de agricultura 121)*****:**

„Mustaceos sic facito: farinae siligineae modium unum musto conspargito; anesum, cuminum, adipis p. II, casei libram, et de virga lauri deradito, eodem addito, et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, cum coques."

praeparatio:
0.5kg farinae
0.3 l musti
2 cochlearia anesi

CAPVT NONVM

1 cochlear cumini
100g adipis
50g casei ovilis
20 folia lauri
Pultem e farina et musto et - quod optimum factu est - faece (opus erit circiter 40 g) praepara. Sinas crescat, si faecem adhibuisti, deinde omnia additamenta adde, paniculos forma, mitte folium lauri subtus, coque igni lento per dimidiam horam.

MENSAE SECVNDAE:

Dulcia domestica ***(Apic. 7,13,1)*****:**

„Palmulas vel dactylos excepto semine, nuce vel nucleis vel piper tritum infercies. Sales foris contingis, frigis in melle cocto, et inferes."

praeparatio:
250 g dactylorum recentium (si non invenis, poteris etiam dactylos siccos adhibere.)
50 g nucum vel nucleorum
mel (cum vino mixtum, si non vis dactylos nimis dulces efficere!)
sal
Postquam dactylos nucibus vel nucleis (vel si vis temptare etiam pipere) implevisti, coque eos donec cutis absolvi incipit et infer.

Pepones et melones ***(Apic. 3,7)*****:**

„piper, puleium, mel vel passum, liquamen, acetum; interdum et silfi accedit."

praeparatio:
1 pepo, 1 melo
0.5 l passi (=vinum dulcissimum) vel vini rubri cum 1/2 ligula mellis
1 ligula aceti
piper tritum, mucronem salis
2 ligulae pulei vel mentae viridis.
Ius in melones sic facies: passum, acetum, piper tritum, sal, puleium bene misces et agitas. Infundes peponem et melonem tessellatim concisas. Post 2 horas inferes.

Aliter dulcia ***(Apic. 7,13,6)*****:**

„accipies similam, coques in aqua calida, ita ut durissimam pultem facias, deinde in patellam expandis. cum refrixerit, concidis quasi dulcia et frigis in oleo optimo. levas, perfundis mel, piper aspergis et inferes. melius feceris, si lac pro aqua miseris."

praeparatio:
0.25 kg farinae siligineae
0.2 l lactis
oleum, mel.
Farinam siligineam in lacte coques et agitas bene, ut durissima puls efficiatur. Deinde pultem expandis ita, ut tenuissimum libum facias. Deinde concidis quadrata, quae in oleo calidissimo friges ita, ut inflentur. Levas et melle consparges et inferes.

CAPVT DECIMVM

DE ITINERIBVS FACIENDIS

DE ITINERIBVS FACIENDIS I

Lu.=Lucia
Cl.=Claudia
Mi.=Michael

Lu.: Unde venis?

Cl.: Hammaburgo venio. Unde tu venis?

Lu.: Ego quidem ex Italia venio.

Cl.: Quando advenisti?

Lu.: Iam hora undecima ante meridiem adveni.

Cl.: Quo vehiculo usa es?

Lu.: Tramine usa sum. Tune autem autocineto huc venisti an tramine?

Cl.: Autocineto.

Lu.: Quot chiliometra abhinc distat domus tua?

Cl.: Quingenta fere chiliometra. Tu ubi in Italia habitas?

Lu.: Brundisii (= Brindisi) habito.

Cl.: Ubi Brundisium situm est?

Lu.: Brundisium ad mare Adriaticum in Italia meridionali situm est.

Cl.: Ergo longissimum iter habuisti. Quot horas huc vecta es?

Lu.: Erat iter sedecim horarum et dimidiae.
a

Cl.: Ergo heri vesperi hora quinta et dimidia profecta es, si bene numeravi.

Lu.: Recte dicis.


Cl.: Tune hoc oppidum iam antea novisti?

Lu.: Semel iam hic fui, sed nondum bene cognovi.


Cl.: Estne tibi forma urbis?


Lu.: In praesenti mihi non est ad manum, pro dolor.


Cl.: Volui enim museum visere. Scisne forte, quae via ad museum ducat?





forma urbis


in directum ire



sinistrorsum flectere



dextrorsum flectere



primum / secundum diverticulum


spatium (publicum)



Brundisium


strata autocinetica


prope / procul


statio vehiculorum


statio ferriviaria


aeriportus

Unde venis? - **Hammaburgo** venio. *[Ego **ex Italia** venio.]*

Quando advenisti? - ***(Iam)*** **hora undecima ante meridiem** adveni.

Quo vehiculo usa es? - **Tramine** usa sum.
Tune autem ***autocineto*** huc venisti **an *tramine***? - **Autocineto**.

Quot chiliometra abhinc distat domus tua? - **Quingenta** fere (chiliometra).

Tu **ubi** (in Italia) habitas? - **Brundisii** ***[Romae / inter Mediolanum et Bononiam / prope Florentiam / non procul a Syracusis / ...]*** habito.

Ubi Brundisium situm est? - Brundisium **ad mare Adriaticum in Italia meridionali** situm est.


Lu.:	Nescio, sed appropinquat Michael, quem interrogare licet. Nam Michael iam saepius hic versatus est. Heus, Michael!
Mi.:	Salvete!
Lu.:	Monstra nobis, quaesumus, viam ad museum!
Mi.:	Eatis, quaeso, in directum. Pergite usque ad forum! Deinde flectite dextrorsum, tum usque in secundum diverticulum. Postea vobis sinistrorsum flectendum erit. Museum est in parte sinistra eius viae.
Cl.:	Et ubi situm est cafeum?
Mi.:	Quod cafeum? Sunt enim plura. Unum ad forum situm est, aliud prope domum, ubi habitamus.
Cl.:	Utrum nobis commendas?
Mi.:	In eo, quod ad forum situm est, bonam glaciem parant. Placentae autem in altero meliores sunt.
Cl.:	Quid censes, Lucia? Mavisne placentam an glaciem sumere?
Lu.:	Malim bonam cafeam sumere, ut ne tam somnulenta maneam. Scisne, Michael, ubi bona cafea paretur?
Mi.:	Pro dolor cafeae omnino imperitus sum.
Lu.:	Dic ergo, Claudia, quid tu praeferas: placentam an glaciem?
Cl.:	Mihi ob calorem aestivum glacies magis placet.
Lu.:	Agedum! Eamus ad forum!

COLLOQVAMVR:


1) *Quomodo domo in scholam (universitatem/officinam/...) venire soles? (autocineto, birota, tramine, ...)*

2) *Quibus vehiculis tu plerumque uteris?*


3) *Prehendamus formam alicuius urbis! Nunc monstra mihi quaeso viam ad curiam! - Ubi est statio ferriviaria?*




tramen ferriviarium




tramen ferriviarium subterraneum




currus electricus




autoraeda longa




navis




ponto, -onis m.




tessera vectoria




ostiolum tesserarum




automatum tesserarum



officium informatorium



profectio / adventus



megaphonum

Quot horas huc vecta es? - **Viginti horas** vecta sum. *[Erat iter* ***sedecim horarum et dimidiae.****]*

Tune hoc oppidum ***iam*** antea **novisti**? - Semel iam hic fui, sed **nondum bene** cognovi.

Estne tibi **forma urbis**? - In praesenti mihi **non est ad manum** *(in promptu)*, pro dolor.

Scisne (forte), quae via ad museum ducat? - **Nescio.**

Et **ubi** situm est ***cafeum***? - **Quod *cafeum***? Sunt enim plura. Unum **ad forum** situm est, aliud **prope domum, ubi habitamus.**

DE ITINERIBVS FACIENDIS II

Ni.=Nina
Ma.=Martinus

Ni.: Placetne tibi itinera facere?

Ma.: Multum mihi placet.

Ni.: Ubi ferias aestivas hoc anno peragere vis?

Ma.: Nondum scio quo iter faciam. Quid de te? Iamne scis?

Ni.: Iam. Hoc anno in Graeciam proficisci volo. Valde cupio et in litore apricari et monumenta antiqua et musea visere.

Ma.: Tune sola in Graeciam proficisceris an quis te comitabitur?

Ni.: Adhuc sola sum, cum neminem invenerim qui mecum peregrinari vellet.

Ma.: Quo vehiculo ad meridiem uteris?

Ni.: Primo tramine usque in Italiam, deinde navi vehar per mare Adriaticum.

Ma.: Pernoctabisne in aliquo deversorio?

Ni.: Ita est! In deversoriis iuvenum pernoctabo, cum minimo pretio sint. Fortasse, si caelum serenum est, in tentorio dormiam.

Ma.: Nonne times latrones, si in tentorio sola dormis?

Ni.: Vah! Iam saepe in tentorio dormivi neque latrones me raptarunt.

Ma.: . Quam diu in Graecia manebis?


Ni.: Tres septimanas manere in animo habeo. Deinde aeroplano Athenis Monachum revertar.


Ma.: Quid diceres, si tecum peregrinarer?


Ni.: Visne revera? Valde gauderem. Nescio vero quem magis timeam, tene an latrones.


COLLOQVAMVR:


1) *Ubi tu anno proximo ferias degere in animo habes? - Quid tibi plus placet? Iter in montes an iter ad mare?*



apricari


museum



montes



litus (maris)


deversorium



tentorium


latro


aeroplanum


monumentum visere


sub divo



septentrio meridies


migrare

Placetne tibi *itinera facere*? - **Multum** mihi **placet**.

Iamne scis ubi ferias aestivas hoc anno peractura sis? - **Iam**. Hoc anno **in Graeciam** proficisci volo. *[**Nondum scio**.]*

Tune sola in Graeciam ***proficisceris* an *quis*** te ***comitabitur***? - Adhuc **sola** sum. *[**Una cum amica** iter faciam.]*

Pernoctabisne in aliquo **deversorio**? - **Ita est! In deversoriis iuvenum pernoctabo**. *[Si caelum serenum est, **in tentorio** dormiam.]*

Quam diu in Graecia manebis? - **Tres septimanas** manere in animo habeo. *[**Unum mensem** manebo.]*

DE ITINERIBVS FACIENDIS III

La.=Laura
Cl.:=Claudia

La.: Placueruntne tibi atque sorori feriae?

Cl.: Plurimum nobis placuerunt. Hoc anno ferias in Alpibus degimus. In ea regione, cui nomen est Algoia, multa suscipere potes. Sunt enim ibi arces altae, silvae virides, montes celsi, valles amoenae, lacus caerulei. Omni die excursionem in oppidum quoddam fecimus aut per montes vagatae sumus. Horis vespertinis in nescio qua caupona, in quam ambulantes incidimus, cenam sumpsimus. Ut audis, feriae nostrae revera iucundissimae erant. Etiam sol semper splendebat.

La.: Optime! Equidem ego hoc anno iter non faciam, sed domi versabor. Proximo autem anno navi vaporaria in Americam proficisci mihi propositum est.

Cl.: Verumne? Suntne adhuc multae naves quae tale iter suscipiunt?

La.: Minime! Hoc tempore paucissimae naves sunt, quibus trans Oceanum navigare potes, cum plerique peregrinatores aeroplano utantur.

Cl.: Sed iter navi certe longum erit. Quot dies in navi versaberis?

La.: Puto fore iter septem octove dierum. Sed Novum Eboracum, quo navi vehar, non tam longinquum est quam putas.

Cl.: Etiamne navi ex America reverteris?

La.: Non. Magni enim pretii est, quam ob rem aeroplano revertar.


Cl.: De omnibus rebus, quas in America videris, narres mihi quaeso, cum reverteris.


COLLOQVAMVR:

1) *Tu in sortitione (=lotteria) quadam iter unius mensis per totum orbem terrarum sortita/-us es! (Te felicem!) Quas terras, regiones, artificia aliasve res videre tua maxime interest?*


2) *In quibus terris iam fuisti et quo tibi placeret iter suscipere?*


3) *Tune saepe itinera facis? - Quando iter proximum factura/facturus es? - Quo proficisceris?*


silva



arx



lacus



caupona


navis vaporaria



vallis



funivia


Novum Eboracum


portus


monumentum libertatis


caeliscalpium


cuniculus

Placueruntne tibi atque sorori feriae? - **Plurimum** nobis **placuerunt**. *[Revera nobis **non tam placuerunt**, cum noctibus semper maximus strepitus exortus esset, quam ob rem vix dormivissemus.]*

Suntne adhuc **multae naves**, quae tale iter suscipiunt? - **Non** iam **multis navibus** trans Oceanum navigare potes.

Quot dies in navi versaberis? - Puto fore iter **septem octove dierum**.

Etiamne navi ex America reverteris? - **Non**. Magni enim pretii est, quam ob rem **aeroplano** revertar.

CAPVT DECIMVM

DE ITINERIBVS FACIENDIS IV

Dialogus de invitatione ad peregrinationem suscipiendam

Te.=Teresa
Lu.=Luisa
Mi.=Michael
Cl.=Claudius

Tandem non iam pluit. Teresa in fine septimanae cum matre rus proficisci vult. Die Veneris hora decima sexta apud Teresam: componit numerum telephonicum Luisae.

Lu.: Salve!

Te.: Esne tu Luisa? Ego Teresa loquor. Die Saturni Rüdesheim petemus. Visne nobiscum proficisci?

Lu.: Ah! Rüdesheim ad Rhenum ... Quando proficiscemur?

Te.: Cras, puto, hora decima vel decima et quadrante - redibimus die dominico sub vesperum.

Lu.: Bene! At non - mane! Iam itura eram ad mercatum librorum cum Claudio et Michaele.

Te.: Die dominico? Oh - cur! Cum modo pulcherrima tempestas sit!

Lu.: Nescio, quid faciam ...

Te.: Ausculta! Te invito una cum Michaele et Claudio. Dicam matri, iam scio eam consensuram esse.

Lu.: Optimum consilium!

Te.: Tune ergo venies?

Lu.: Veniam libentissime!

Te.: Ego statim cum Michaele telephonabo. In crastinum, vale!


Lu.: Optime vale!

Nunc Teresa cum Michaele telephonat.

Mi.: Salve!

Te.: Heus, Michael! Teresa sum.


Mi.: Ah, heus, Teresa! Quid te adduxit ut ad me telephonares?




Rüdesheim



mercatus librorum




numerum telephonicum componere



tempestas pulchra



peregrinator



ripa fluvii




vitis




vinea




semita



birota vehi



pluvia



sub vesperum

Salve! **Esne** tu **Luisa**? - **Sum**. *[**Non sum**. Sum mater Luisae.]*

Visne nobiscum proficisci? - **Scilicet volo**. *[Pro dolor **non potero**.]*

Quando proficiscemur? - **Cras hora decima** vel **decima et quadrante**.
Quando redibimus? - Redibimus **die dominico sub vesperum**.

Tune ergo **venies**? - **Veniam** libentissime!

Quid tandem ibi **faciamus**? - **Birotis vehi** poterimus.

Quid te adduxit ut ad me telephonares? - **Tempestas haec pulcherrima** me adduxit.

Te.: Tempestas haec pulcherrima me adduxit. Consilium enim cepimus, ego cum Luisa, ut cras iter in oppidum Rüdesheim susciperemus. Veniesne nobiscum?

Mi.: Hem! Iam Claudio pollicitus eram, ut eum ad mercatum librorum comitarer et quomodo eum novisti, scis, quid dicturus sit, si ei dicam me non esse venturum.

Te.: Claudius quoque scilicet nobiscum proficiscetur.

Mi.: Speremus eum consensurum. Nam vehementer rogitavit ut mercatum librorum adiremus, cum nonnullos libros nuper editos ibi invenire cuperet. Sed cum eo telephonabo tibique postea dicam, quid responderit.

Te.: Gratias plurimas! Ergo telephonema tuum exspectabo. Vale!

Deinde Michael cum Claudio telephonat.

Cl.: Salve! Claudius sum, qui loquor.

Mi.: Salve, Claudi! Quomodo vales?

Cl.: Satis bene, gratias, sed certe non telephonasti ut me interrogares, quomodo valerem.

Mi.: Cur non? Sed recte dicis. Telephonavi, ut scirem quid diceres, si nos cras non ad mercatum librorum, sed cum Teresa et Luisa ad pulcherrimum illud oppidum, cui nomen Rüdesheim, conferremus.

Cl.: Revera si cras mercatum librorum non adibo, die dominico mihi eundum erit, quo die iam alia facere cogitaveram ... sed nihil refert. Per me veniam, sed Rüdesheim non visam, quia est vicus pro peregrinatoribus. Mea nequaquam interest. Praeterea verisimiliter toto die cum matre Teresae una esse mihi omnino displicebit - quid tandem ibi faciamus?

Mi.: Nescisne nos in statione ferriviaria birotas mutuari posse? Birotis vehi poterimus.

Cl.: Continenter ascendentes et descendentes in semitis inter vineas? Quid mente fingis?


Mi.: Ergo quid vis? Utrum venies nobiscum necne?

Cl.: Hem ... veniam.


Die lunae Teresa in lyceo inter duas scholas narrat quantopere Luisa et ipsa et amici die Saturni dieque dominico gavisi sint.



scopae



ascendere




descendere




vicus




horologium armillare




hora prima




hora secunda




hora tertia et quadrans




hora quarta et dimidia



hora quinta et dodrans



hora sexta minuta decima



hora octava

Veniesne nobiscum? - Hem! Iam **Claudio pollicitus eram ut eum ad mercatum librorum comitarer** et quomodo eum novisti, scis quid dicturus sit, si ei dicam me non esse venturum.

Nescisne nos in statione ferriviaria birotas mutuari posse? - Revera **nescivi.** *[Id quidem **scio**.]*

Birotis vehi poterimus. - (**Num**) continenter ascendentes et descendentes in semitis inter vineas? **Quid mente fingis?**

Ergo **quid vis**? **Utrum venies** nobiscum **necne**? - Hem ... **veniam**.

Quomodo vales? - **Satis bene**, gratias. *[**Optime** valeo. / **Non tam bene** valeo. / Aliquantulum **aegroto**.]*

COLLOQVAMVR:

1) *Amici tui iam proficisci volunt. Tu ipse uno die postea eos convenire vis. Telephona cum iis et interroga ubi et quomodo eos inventurus sis!*

2) *Quo vehiculo itinera facere maxime amas? Tramine, autocineto, aeroplano, autobirota, birota, nave, pedibus an scopis (sicut strigae)?*

3) *Amasne tu quoque birota vehi an pedibus ire praefers?*

4) *Recordarisne adhuc omnium itinerum scholarium quae fecistis? Ubi fuistis et quid vidistis?*

5) *Quo iter tuum longissimum suscepisti? Quod iter tibi maxime omnium placuit?*

6) *Quid tibi in itineribus magis placet: musea visere an per urbes antiquas ambulare an in litore maris apricari an ... ?*

CAPVT VNDECIMVM

DE STVDIIS

DE STVDIIS

La.=Laura
Mi.=Michael

Mi.: Salve!

La.: Salvus sis!

Mi.: Maior natu mihi esse videris quam ego. Esne discipula an studiosa?

La.: Studiosa sum ex duobus iam annis. Bononiae linguis antiquis studeo.

Mi.: Quod officium post studium geres?

La.: Magistra linguarum Latinae et Graecae fieri volo. Quid de te? Esne discipulus?

Mi.: Sum. Hammaburgi lyceum frequento.

La.: Ah, recordor. Hoc mihi iam dixisti. Nonne me magistram timeres?

Mi.: Nondum magistra es. Praeterea nonnumquam etiam cum magistris loquor.

La.: Quid post examen maturitatis ages?

Mi.: Adhuc nescio quid agam.

La.: At certe scis in quo genere studiorum aliquid efficere possis. Quid tua plus interest: ut tractes linguas an - exempli gratia - institutionem mathematicam (*institutionem musicam / artium / athleticam / biologicam / physicam / informaticam / chimicam / geographicam / historiae / religionis ...*)?

Mi.: Mathematicam tractare mea multum interest. Sed linguae quoque mihi valde placent. Didici linguam Theodiscam a parentibus, in schola vero Anglicam et Latinam (*Francogallicam / Italicam / Hispanicam / Lusitanicam / Russicam / Iaponicam / Graecam antiquam / Graecam modernam / Arabicam / ...*). Etiam linguam Italicam privatim disco.

La.: Ah! quot annos Italice loqui didicisti? Scisne mecum Italice colloqui?

Mi.: Italicam linguam adhuc solum duos annos didici. Iam nonnulla intellego. Tamen nondum bene loquor. Multo melius Latine loquor.

La.: Pro dolor! Sed nihil refert. Huc revera convenimus ut Latine colloqueremur.

magister | **mathematica** | **physica** | **chimia**

biologia | **ars figurativa** | **musica** | **informatica**

historia | **ars figurativa** | **medicina** | **architectura**

Esne discipula an studiosa? - **Studiosa** sum ex duobus iam annis.

Quod officium post studium geres (gestura es)? - **Magistra** linguarum Latinae et Graecae fieri volo.

Quid de te? **Esne discipulus**? - **Sum**. Hammaburgi lyceum frequento.

Nonne me magistram **timeres**? - Nondum magistra es. Praeterea nonnumquam **etiam cum magistris loquor**.

Quid post examen maturitatis **ages**? - Adhuc **nescio**, quid agam. *[Mihi in animo est **architecturae studere**.]*

CAPVT VNDECIMVM

Mi.: Fortasse post examen maturitatis studebo, sed adhuc nescio cui rei. Mihi iam in animo erat iuris prudentiae studere.

La.: Putasne id tibi satis placiturum esse? Mihi ipsi iuris prudentia nimis taediosa videtur.

Mi.: Quid tu mihi suades?

La.: Haud facile dictu est. Dixisti tibi mathematicam placere. Cur non studes physicae vel informaticae vel mathematicae?

Mi.: De physica iam cogitavi, sed in laboratorio aliquo subterraneo vitam degere mihi non placeret.

La.: Quid de philosophia?

Mi.: Dubito hocne mihi placiturum sit. Quid praeterea post studium agam, si philosophiae studuerim?

La.: Philosuphus fieri sicut Diogenes, qui ...


Mi.: ... in dolio vixit, ut dicunt. Mihi domus verae et solidae magis placent. Estne ceterum studiosis multum vacuum tempus?


La.: Satis multum, etiamsi in Italia discipuli longioribus feriis aestivis fruuntur quam studiosi. Nam in nostris scholis plus duos menses feriae aestivae sunt: ex medio mense Iunio usque ad initium mensis Septembris. Saepe vero in feriis aestivis examina praeparare debes, quod mihi minus placet.


Mi.: In feriis revera haud multum pro schola discere soleo. Praecipue hoc anno de feriis aestivis valde gaudeo. Nam finis temporis scholaris durus fuit. Paene annum iteravi.

La.: Ergo de aliis rebus nunc loquamur.


Mi.: Optime! Loquamur de magistris ...



tabula nigra



creta


fasciculus


stilus



liber


spongia



mensa scriptoria


classis (discipulorum)


susurrare


aeroplanula chartacea


dolium


proelio navali ludere

Quid tua plus **interest**: **ut tractes linguas an mathematicam** - **Mathematicam tractare mea** multum **interest**. Sed **linguae quoque mihi** valde **placent**.

Quot annos Italice loqui didicisti? - Italicam linguam adhuc solum **duos annos** didici.

Scisne mecum Italice **colloqui**? - Tamen **nondum bene loquor**.

Cur non studes physicae vel informaticae vel mathematicae? - De physica iam cogitavi, sed **in laboratorio aliquo subterraneo vitam degere mihi non placeret**.

Estne studiosis **multum vacuum tempus**? - **Satis multum**, **etiamsi** in Italia discipuli longioribus feriis aestivis fruuntur quam studiosi.

COLLOQVAMVR:

1) *Tune libenter studes an studere fastidis?*

2) *Tibine res technicae vel scientiae naturales an linguae et artes plus placent?*

3) *Quae studia tibi maxime placent? Cui rei schola finita studere in animo habes? Visne universitatem adire an artem discere?*

4) *Quid tibi in studio tuo maxime placet? Quid tibi nimis taediosum videtur?*

5) *Fac te ministrum esse educationis: Quas disciplinas novas invenies - quas disciplinas obsoletas aboles?*

6) *Amasne mathematicam? Sin minus, cur non (vel, si amas, cur)?*

7) *Narra de magistris tuis!*

CAPVT DVODECIMVM

DE OBLECTAMENTIS

DE OBLECTAMENTIS

St.=Stephanus
Ma.=Marcus
Be.=Bello

Stephanus Marcum, qui emissionem televisificam spectat, visitat. Hora est decima antemeridiana.

St.: Salve, Marce!

Ma.: Salvus sis, Stephane!

St.: Semper iam mane telespectas. Nonne tibi alia oblectamenta sunt praeter televisionem?

Ma.: Sunt, sed ne me interpellaveris! Est enim series, quam cotidie specto. Si me nunc turbas, cras nesciam, qua de re agatur.

St.: O te stultum! Visne totum tempus tuum televisione perdere? Nonne ipse aliquid agere vis?

Ma.: Non, tace!

St.: Si hoc modo cum amicis loqueris, aliquando omnibus amicis carebis. Mihi non placet totum per diem telespectare. Oblectamenta mihi sunt plura: tesseras epistulares colligo, musicam libenter ausculto, coquere et pedifolli ludere mihi placent.

Ma.: Mihi minime!

St.: Cur non - si haec omnia non amas - instrumento musico modularis?

Ma.: Olim mihi clavili modulandum erat, sed exercere mihi displicebat.

St.: Hoc intellegere non possum. Mihi saxophono canere valde placet. Maximo cum gaudio me cotidie exerceo. Computatrum meum quoque valde amo.


Ma.: Ego quoque! Si in televisione nihil est, quod mea interest, computatro ludo.


St.: Ludis! Nihil nisi ludere scis! Cur non ipse programmata scribere incipis?

Ma.: Programmata iam multa ab aliis scripta sunt.

St.: Scilicet, sed si ipse programmata conficere discis, omnia quae vis programmare poteris.


Nunc series finita est et Marcus celerrime omnia programmata televisifica inspicit, quid ei nunc spectandum sit.



televisorium





tessera epistularis



pedifollis



organum


harpa



cornu


triangulum


violoncellum


tympana cum rudicula


saxophonum


organum


tuba

Salve, Marce! - **Salvus sis**, Stephane!

Nonne tibi alia oblectamenta **sunt** praeter televisionem? - **Sunt**.

Nonne ipse aliquid agere **vis**? - **Non**! *[**Scilicet volo**, sed non nunc.]*

Cur instrumento musico modularis? - Mihi instrumento musico modulari **multum placet**, praecipue una cum aliis.

Cur non ipse programmata scribere incipis? - Programmata **iam multa ab aliis** scripta sunt. *[Programmata computatoria scribere mihi **omnino displicet**, cum **taediosissimus labor** sit: per dimidiam horam programmas, per quinque horas errores quaeris.]*

St.: Nunc televisorium exstingue!

Ma.: Non! Fortasse aliquid inveniam, quod mea interest. Haec exempli gratia est pellicula de animalibus domesticis: "Quomodo cattae et canes curentur."

St.: Nonne melius est canem tuum curare, quam in televisione videre quomodo curari debet?

His a Stephano dictis televisorium saepe mutatis programmatis exstinguitur et nullo modo reincendi potest.

Ma.: O me miserum! Quid nunc factum est?

St.: Non miror, quod televisorium fractum est. Programmata enim semper citissime mutas.

Ma.: Quis hodie, die dominico, televisorium reparabit?

Stephanus ridet.

St.: Nemo!

Ma.: Quid per totum diem faciam.

St.: Melius dicas: "faciamus"! Igitur mecum veni ut birota vehamur. Sol splendet. Bello, canis tuus, nobiscum veniat!

Ma.: Veniam tecum, quoniam aliud quid faciam nescio.

St.: Optime! Affero nonnullos cibos, ut cenulam sub divo sumere possimus.

Ma.: Libenter! Et ego potiones curabo.

Stephanus, Marcus, Bello abeunt et optimam excursionem faciunt. Sub vesperum revertuntur.


Ma.: Valde gaudeo nos hanc excursionem fecisse. Erat dies optimus. Hoc mihi revera multo plus placuit quam telespectare.


Be.: Bau, bau!


Ma.: Ei quoque placuit. Quid septimana proxima faciemus?


St.: Tu quid censes? Nonne lacum natatum adibimus?


Ma.: Id libentissime faciamus! Septimanam proximam iam cum gaudio exspecto.


canis


felis / catta


avis



psittacus


mus



equus



vacca


asinus


crocodilus


tigris


leo


elephantus

Nunc televisorium **exstingue!** - **Non!** ***[Minime! / Faciam.]***

Nonne melius est, canem tuum curare, **quam** in televisione videre, quomodo curari debet? - ...

Quid nunc **factum est**? - **Televisorium fractum est.**

Quis hodie, die dominico, televisorium reparabit? - **Nemo**! [Certe **aliquem** in elencho telephonico **inveniemus**.]

Quid per totum diem **faciam**? - Mecum **veni ut birota vehamur!** - **Veniam** tecum.

Quid septimana proxima **faciemus**? - Tu quid censes? Nonne **lacum natatum adibimus**? - Id **libentissime faciamus**!

CAPVT DVODECIMVM

Dialogus de tenisia mensali

St.=Stephania
Ad.=Andreas
Mi.=Michael
Ma.=Martinus

St.: Tibine placet tenisia mensalis?

Ad.: Tenisia mensalis mihi valde placet.

St.: Tune bene scis tenisiam mensalem ludere?

Ad.: Non tam bene scio, cum mihi parum exercitationis sit. Tune ipsa bene scis?

St.: Satis bene ad domusionem. Iam ex quinque annis exerceo et hoc anno societatis tenisiae mensalis sodalis fieri volo.

Ad.: Ego non sum sodalis nec fieri in animo habeo, sed in schola saepius cum amicis ludendi mihi occasio est.

St.: Tibine placet, si una ludemus?

Ad.: Mihi valde placeret! Tune autem scis num hic mensa tenisiae sit?

St.: Mensa in horto domus nostrae est. Quid ergo exspectamus? Ludamus!

Ad.: Exspecta, dum reticulum Marci afferam. Mihi ipsi enim non est.

St.: Si vis, tibi do alterum meum.

Ad.: Necesse non est, gratias tibi ago. Marcus mihi iam dixit mihi licere capere suum, si volo. Sufficit, si sat multas pilas habes.

St.: Quot vis? Plerumque enim plus una opus non esse videtur.

Ad.: Nondum vidisti ictu meo in arbusta delatas pilas.


St.: Nugas! Mihi pilae sunt tres vel quattuor et arbusta longe absunt. Abeamus tandem lusum!


Ludo iam incohato duo alii pueri veniunt.


Mi.: Licetne nobis vobiscum ludere?


St.: Scilicet! Venite!


Mi.: Suntne autem vobis reliqua reticula? Nostra enim non habemus.



mensa tenisiae



reticulum



pila



rete



hortus



domus



arbustum


ludere


ludus singularis


ludus bis binorum


follis bassus


campus

Tibine placet tenisia mensalis? - **Mihi valde placet**. *[Mihi non (multum) placet.]*

Tune bene scis tenisiam mensalem ludere? - **Non** tam **bene scio**, cum mihi parum exercitationis sit. **Tune ipsa bene scis**? - **Satis bene** ad domusionem.

Tibine placet, si una ludemus? - **Mihi** valde **placeret**!

Tune scis num mensa tenisiae sit? - Mensa in horto domus nostrae **est**. *[Nescio, utrum sit an non.]*

Licetne nobis vobiscum ludere? - **Scilicet**! *[Non licet, cum soli ludere velimus.]*

Suntne autem vobis **reliqua reticula**? - Mihi **non est** reliquum.

Ad.: Mihi non est reliquum, neque hoc quidem est meum, sed Marci. Estne tibi, Stephania?

St.: Iam unum reliquum habeo, cum semper duo mecum feram. Fortasse alium interrogare libet ut nobis det.

Ad.: Faciamus igitur ludum bis binorum. Quis vestrum mecum erit?

Mi.: Stephania tecum, ego vero in altera parte ero.

Ad.: Mavis vincere quam honeste perire an quid?

Mi.: Videlicet! Tecum autem ne *honeste* quidem peribo.

Ad.: Fac transeas et cave ne alapam accipias pro audacia tua!

St.: Pax sit vobiscum! Incipiamus ludere. Martine, veni huc!

*poc ... poc ..... poc .. poc ..... poc ... **pac!***

St.: Andrea, proxima occasione oculis pilam sequere, quaeso, neque aviculas in aere!

Ad.: Nonne tibi erat hic ictus?

St.: Minime, nobis enim semper vicissim ludendum est.

Ma.: Pergamusne tandem? Andreae nunc ictus initialis faciendus est.

*poc ..... poc .. poc .... poc ... poc ..... poc .. **pac!***

Ad.: Vidistine, Stephania? Ita fit victoria nostra!

St.: Tu de uno ictu bono gloriaris quasi victoria iam esset in manibus, sed nondum vicimus, ergo fac taceas et lude porro!

poc ... poc ..... poc . poc .... poc ... poc ....

pila pinnata | **ludus pilae pinnatae** | **ars battuendi** | **globulare**

alsulegia | **hamare (hamo piscari)** | **navigare (velificatio)** | **radiotelephonare**



gymnasticam exercere | **instrumenta gymnastica** | **calceus gymnicus** | **natare**

Mihi non est reliquum reticulum, neque hoc quidem est meum, sed Andreae. **Estne tibi**, Stephania? - Iam **unum reliquum habeo**, cum semper duo mecum feram.

Faciamus igitur ludum bis binorum. **Quis** vestrum **mecum** erit? - **Stephania tecum**, ego vero in altera parte ero.

Mavis(ne) vincere **quam** honeste perire **an quid**? - **Videlicet**! Tecum autem ne *honeste* quidem peribo.

Nonne tibi erat hic ictus? - **Minime**, nobis enim semper vicissim ludendum est.

COLLOQVAMVR:

1) *Quae sunt oblectamenta tua? Quos ludos praefers?*

2) *Legisne libenter? Qui libri tibi maxime placent?*

3) *Amasne musicam an tibi ars pictoria plus placet?*

4) *Cui sunt eadem oblectamenta ac mihi?*

5) *Postea conveniemus, qui ludum scacorum (ludum regium) amamus! Quis veniet?*

6) *Disputemus! Redditne computatrum (televisorium) liberos stultos?*

7) *Quid de athletica? Num est mens sana in corpore nimis athletico?*

8) *Tibine quoque tenisia mensalis placet?*

9) *Quis ludus tibi plus placet: pedifollis an tenisia an ... ?*

10) *Esne sodalis societatis?*

CAPVT DECIMVM TERTIVM

DE LVDIS

DE LVDIS

Hic tibi, care lector et amice linguae Latinae, nonnulli ludi proponuntur, quos fortasse aliquando iam ipse lusisti vel vidisti. Nobis magno gaudio est, si tibi placent et si tibi hos ludos ludenti alii quoque ludi in mentem veniunt quos cum amicis ludere potes. Duo praecipua sunt genera ludorum hic propositorum: prius ad solos cursus cogitationum pertinet velut ad verba invenienda sententiasve fingendas, alterum ad gestus intellegendos et interpretandos. Unusquisque facile hos ludos participare poterit, praesertim iuvenes atque adulescentes una ludentes his paginis delectentur.

QVID EST TIBI NOMEN?

Nomina adhuc nescio. Ludamus! Incipio: Michael vocor. Mala amo. - Ego pergo: Ille Michael vocatur. Mala amat. Ego Sabina vocor. Mihi sal placet . ...

QVIBVS REBVS ALII TE DESCRIBANT

Unus e lusoribus exit. Aliquis a ceteris eligitur, cui quinque res colliguntur, quae ei in itinere necessariae sunt: vestimentum, calceamentum, vehiculum, quaedam res utiles etc. (Haec omnia etiam in schedulis pingere vel scribere licet.) Tum is, qui exierat, invenire debet, quis descriptus fuerit.

NVNTIVS MVTVS

Primus in aures vicini sui sententiam susurrat. Vicinus tunc proximo id quod intellexerit tradet circumferendum et ita porro. Ultimus edicet quid perceperit.

QVI TACENTES LOQVVNTVR

Lusori cuidam peregrinus mandatur, cui aliquid explicet. Cum vero peregrinus nihil intellegit, lusorem gestibus uti oportet. Peregrino autem interrogare licet. Alii spectatores explicanda intellegere conantur. Ea, quae peregrino explicare debet, magister ludi lusori in schedula scribserat.

(Hic ludus similiter ac "ludo de imaginibus" ludi potest, si participes in coetus dividuntur.)

LVDVS DE IMAGINIBVS

Finguntur duo (vel plures) coetus. Deinde vicissim e singulis coetibus unus progreditur, qui in tabula aliquam rem, exempli gratia bestiam, plantam, rem domesticam etc. (etiam integram sententiam vel proverbium) delineare debet, quam ei magister ludi antea dixerat. Dum pingit, omnes invenire conantur, quid sit. Qui primus dixerit, eius coetus punctum accipiet.
Si nemo invenerit, coetus pictoris punctum amittit (vel alii coetus punctum accipiunt). Vincet coetus qui plurima puncta collegerit.

VIDEO, QVOD TV NON VIDES

Unus ex participibus sibi aliquam rem eligit, quam videt, atque dicit: "Video, quod vos non videtis, quod est rubrum [vel viride vel caeruleum vel ...]." Alii invenire debent, quid sit. Poterunt etiam interrogare, sed tantummodo "etiam" aut "non" respondere licet.

DE VERBIS INVENIENDIS LVDVS

Magister ludi litteras alicuius verbi in tabula punctis indicat et quamlibet consonantem prodit, ubicumque in verbo invenitur.
Exempli gratia: « . p p . . p . . . . . »
(= a p p r o p i n q u a)
Participes vero nunc deinceps consonantes dicere debebunt, quas magister ludi in tabula indicat. Si consonans quaedam non continetur, proximus particips dicit, sin continetur, participi continuare licet. Qui primus invenerit, quod verbum indicatum sit, tot puncta accipiet, quot litterae supersunt. (In hoc ludo participes etiam in coetus dividi possunt.)

AMITAE ROSAE "THEA" NON PLACET

Magister ludi dicit: «Amitae Rosae "thea" non placet.» Ludentes nunc amitae Rosae aliquid offerre debent, quod litteram "t" non continet. Qui errat vel dicit, quod iam antea dictum est, eliminatur.

CONDITORIVM VERBORVM

Quot verba in proprio nomine continentur?
Unusquisque schedam ante se habet et penicillum. Eligitur nomen unius et omnes quam citissime verba scribunt, quorum litterae eo nomine contineantur.
Exempli gratia: «Veronica» continet: ver, vero, nive, nare, acie, ... (in lingua Latina etiam formas flexas verborum scribere licebit).
Vincet qui plurima omnium invenerit.

FVI IN PANTOPOLIO

Magister ludi dicit: «Fui in pantopolio et emi televisorium.» Proximus particeps ludi deinde idem repetere debebit et addere novam rem: «Fui in pantopolio et emi televisorium et petasum.» et sic deinceps. Qui errat, eliminatur. Vincit ultimus, qui remanet.

CATENA VERBORVM

Magister ludi sive quilibet ludi particeps verbum dicit. Vicinus quidem statim novum verbum dicere debet, cuius initium repetit ultimam syllabam anterioris. Eliminabitur, qui post 30 secundas novum non invenerit.
Exempli gratia: domus, musculus, lustrare, renovare, rete, telum, ...

CERTAMEN POETICVM

Primus magister ludi senteniam dicit sive interrogat velut: «Cur bananae sunt curvatae?» Aliquis particeps respondere debet ita ut consonantiam efficiat, velut: «Quia ita sunt natae!» Qui primus responsum invenerit, proximus interrogabit et sic deinceps.

APPENDIX GRAMMATICA

APPENDIX GRAMMATICA

S.: Piper, quid cogitas? Isti grammaticam discere volunt. Quonam modo eos illam doceamus?

P.: Care Sal, nihil hac re facilius: primum scire debebunt, quis agat, deinde quid agat ille, qui agit, tum quem agat, postremo quando agat, ubi agat, quomodo agat, cur agat, ad quem finem agat et quid debeat vel velit agere.

S.: Quid? Noli me perturbare, quaeso!

P.: Facillimum autem intellectu est. Si bene attentus eris, omnia cito comperies.

S.: Id quidem spero. Sed dic mihi: Quid huic tuae methodo commune cum grammatica est? Cogitavi eos debere discere casus et formas verborum: rosa, rosae, rosae, rosam, ...

P.: Scilicet, sed haec in omnibus libris de grammatica leguntur. Quid vero casus et formas verborum proderunt, si nescis, quomodo istis formis sententiae fingantur? Apud nos vero discent, quomodo sententiae fiant, quomodo amicum interrogare debeas, ut cras te in piscinam ...

S.: Delirasne? Egomet ipse numquam piscinam peto! Est aqua ibi! Nihil magis odi.

P.: Dicturus eram: quomodo amicum interrogare debeas, ut te in museum comitetur vel proxima septimana apud te cenet.

S.: Apud me numquam aliquis cenare solet. Omnes dicunt neminem posse edere cibos meos.

1. SALVTAMVS ET RESPONDEMVS:

S.: Salve, Piper!

P.: Salve, Sal!

S.: Estne etiam alia ratio salutationis? Semper abs te audio «Salve, Sal! Salve, Sal! Salve, Sal! ...»

P.: Quidnam abs te audio ego? Quisnam me semper salutat «Salve, Piper!»? Scilicet alii modi sunt salutandi. «**Salve!**» vero est modus maxime communis. Poteris autem dicere: «**Salvus sis, Piper!**», si vis amice loqui.

S.: Bene! Ergo: **Salvus sis, Piper, care amice!**

P.: Ita iam multo melius sonat.

S.: Quid autem mihi dicendum est, si fratrem tecum fers: «Salvete, Piperes!» an «Salvi sitis, Piperes!»?

P.: Dic, quod vis! Bene autem scis mihi non esse fratrem.

S.: Scio, scio. Si vero epistulam scribo, quomodo salutatio fiet?

P.: In epistulis dicitur: «**Piper Sali Salutem**» vel «**Piper Sali Plurimam Dicit Salutem**»

S.: Nunc autem mihi iam abeundum est.

P.: I modo! Te non retinebo.

S.: Nondum possum.

P.: Cur?

S.: Tibi nondum valedixi.

P.: Dic igitur!

S.: Quid autem dicam? «**Vale!**» mihi non satis esse videtur.

P.: Potes, si vis, etiam «**Optime vale, mi amice!**» dicere vel «**Bene vale et bene ambula!**» vel ...

S.: Iam puto mihi «**Vale!**» sufficere. Ergo **vale usque in crastinum diem!**

P.: **Optime vale et tu!**

APPENDIX GRAMMATICA

P.: Videsne velamen?

S.: Quid videam?

P.: Velamen!

S.: Quid est istud?

P.: Velamen est.

S.: Cur te velamine ornavisti?

P.: Quia nubere volo!

S.: Cui nubere vis?

P.: Sermoni Latino!

S.: Nugas! Cur non mihi?

P.: Tibine?

S.: Mihi!

P.: Ad quem finem?

S.: Ad sermonem Latinum condiendum! Placetne?

P.: De hac re deliberabo.

S.: Delibera et pone tandem velamen!

1.1. Primae interrogationes:

Sententia simplex paucis solum partibus constat: indicantur 1. ***is, qui agit****, 2.* ***quis vel quid tractatur*** *3.* ***pro quo agat*** *4.* ***actio, quae fit*** *5.* ***indicationes, ubi quando cur ad quem finem agat****.*

Primum scire volumus, quis agat. Si nomen alicuius scire volumus, interrogamus:

Subiectum: nominativus

Quis es?	- **Stephanus** sum.
Tu autem **quis** es? (**quis** vocaris?)	- **Claudia** sum. (**Claudia** vocor.)
Atque illi, **qui** sunt?	- **Amicae et amici Italici** sunt.
Esne tu Michael?	- **Sum**. [**Ita est.**]

vel etiam:

Quid est tibi ***nomen***?	- Mihi est ***nomen*** **Michael**. - **Michael** sum.
Quid est ***nomen tuum***? **Quis** vocaris?	- ***Nomen meum*** **Stephanus** est. - **Stephanus** vocor.

De persona ita interrogamus:

Quis cantat?	- **Claudia** cantat. - **Marcus et Stephanus** cantant.
Quis advenit?	- **Michael** advenit. - **Amici nostri** adveniunt.

De aliqua re ita interrogamus:

Quid est hoc? **Quid** sonat?	- Hoc est **nucifrangibulum**. - **Telephonum** sonat.

Obiectum propinquum: accusativus

Alium de aliquo ita interrogamus:

Quem vides?	- Video **Lauram et Stephanum**. Video **Mariam**. / Video **puellas**. Video **Marium**. / Video **pueros**.
Quem salutas?	- **Lauram** saluto. /**Amicas meas** saluto. **Stephanum** saluto. / **Amicos meos** saluto.
Quem Stephanus salutat?	- (Stephanus) **Marcum** / **Lauram** / **Michaelem** salutat.
Quem Michael salutat?	- (Michael) **parentes suos** salutat.

vel, si est res, de qua interrogare vis:

Quid vides? **Quid** videtis?	- **Castellum** video. - Videmus **fluvium**. / Videmus **fluvios**. Videmus **villam**. / Videmus **villas**. Videmus **castellum**./ Videmus **castella**.
Quid Stephanus monstrat?	- Stephanus **hortum** monstrat.

Obiectum mediatum: dativus

Stephanus hortum monstrat. Ad aliquam rem autem monstrandam semper duo opus sunt, unus, qui monstrat et alter, qui videt. Item res se habet, si rem damus. Ergo interrogamus:

Cui Stephanus hortum monstrat?	- Stephanus **Michaeli** hortum monstrat.

APPENDIX GRAMMATICA

Cui librum tuum dedisti? - Librum **Marco** dedi.

Significatio possessionis: genitivus

Si scire volumus, ad quem aliqua res pertineat, interrogandum est:

Ecce conclave in pedeplanis!
Cuius est? - Est conclave **Claudiae et Laurae**.
Cuius pila est haec? - Est **mea**!
Cuius est hic liber ruber? - Nonne **tuus** est? - Non, est liber **Laurae**.

Significatio instrumenti, temporis, loci: ablativus

Si instrumentum adhibemus, ut aliquid efficiamus, nobis dicendum est:

Quo ***vehiculo*** venisti? - **Autocineto** [**tramine** / **aeroplano** / ...] veni.

Item ut certum tempus vel locum indicemus, dicimus:

Quota hora spectaculi initium erit? - **Hora octava** vespertina incohabitur.

Praepositiones

Nunc relationes inter res vel personas intercedentes verbis exprimere conabimur. Relationes plerumque ***praepositionibus*** *indicantur. Si e.g. una aliquid facimus, plerumque praepositione "****cum****" utimur, velut: "****cum tribus amicis in Graeciam proficiscar.****" Ergo hoc modo interrogamus:*

Quo*cum** habitabo? - **Cum** ***puella Italica habitabis.
Tune iter **cum** ***amicis*** facies? - Non. Ego **sine** ***ullo amico*** proficiscar.

Si interrogamus, ***quo*** *aliquis eat vel iter faciat, plerumque etiam praepositione utimur, velut:*

Quo in feriis iter facies? - **In** ***Americam*** iter faciam.
Quo fugiam, si pluit. - Fuge **sub** ***tectum***!
Quo is? - Eo **ad** ***amicum***.

Saepe relationem spatii vel temporis indicare volumus. Si e.g. interrogamus, ***ubi*** *aliquis vel aliquid sit, his praepositionibus uti possumus:*

Ubi Petrus est? - Nonne **in** ***piscina*** est?
Non, **in** ***piscina*** eum non inveni. - Ergo quaere eum **in stabulo**!
Ubi est Silvia, catta tua? - Sedet **sub** ***mensa***.
Putavi eam foris **in** ***horto*** versari.

Quid Silvia nunc agit?

- 1.	Sedet	**ante**	***mensam***
- 2.	Sedet	**post**	***fornacem***
- 3.	Currit	**ad**	***mensam***
- 4.	Sedet	**iuxta**	***mensam***
- 5.	Currit	**circum**	***mensam***
- 6.	Salit	**in**	***mensam***
- 7.	Sedet	**in**	***mensa***
- 8.	Desilit	**de**	***mensa***
- 9.	Sedet	**sub**	***mensa***

Catta tua plane delirat!

1.2. Interrogationes de qualitatibus:

Significatio qualitatis

Si de aliquo vel de aliqua re accuratius aliquid scire volumus, interrogamus:

Quis ***primus*** advenit? - **Michael** ***primus*** advenit.
Qui ***iuvenis*** **primus** advenit? - **Michael primus** advenit.

Quis est ***Fabianus***? - **Ego** sum.

Quod conclave est ***meum***? - **Hoc** est ***conclave tuum***.

Ego studiosus *sum.* — ***Nos studiosi*** *sumus.*
Tu discipula *es.* — ***Vos discipulae*** *estis.*
Illa domina magistra *est.* — ***Illae dominae magistrae*** *sunt.*
Ille dominus agricola *est.* — ***Illi domini agricolae*** *sunt.*

Quae est ***haec arbor***? - **Pirus** est.

Quod [**Quale**] iter Claudia fecit? - Iter **valde pulchrum**, sed **magnum**.

Qui ***iuvenes*** inter se iam cognoverunt? - **Michael et Claudia** inter se iam cognoverunt.

Quae ***puellae*** una habitabunt? - **Claudia et Laura** una habitabunt.

Quae ***vehicula*** in area stativa sunt? - **Autocineta** (magna et parva).

Quali tramine huc venisti? - Tramine **velocissimo** [**lento**] veni.

1.3. Interrogationes de loco:

Significatio loci (praepositione, locativo)

Si interrogamus, ***quo loco*** *vel* ***ubi*** *aliquid sit, locum aut* ***praepositione*** *aut* ***locativo*** *(si e.g. oppidum est) indicamus:*

Ubi sunt potiones? - Potiones ***in*** **refrigeratorio** sunt.
Ubi est telephonum? - **Hic** est, ***iuxta*** **portam**.
Ubi Francavilla sita est? - ***In*** **Francogallia** ***prope*** **Lugdunum** sita est.

Ubi Stephanus aream stativam invenit? - Aream stativam *ante* **stationem ferriviariam** invenit.

Ubi haec praecepta inveniuntur? - *In* **libro** Apicii inveniuntur.

Ubi habitas? - **Florentiae** [**Romae** / **Londinii** / ...] habito.

Ubi parentes tui sunt? - **Domi** sunt.

1.4. Interrogationes de origine:

Significatio originis (ablativus originis)

Unde venis? - **Roma** venio.
- **Ex America** venio.

Qua ex urbe venisti? - **Londinio** veni.

1.5. Interrogationes de loco petendo:

Significatio directionis (accusativus directionis)

Quo vadis? - *In* **urbem**.

Quo is? - **Domum** eo.

Quo curritis? - **Foras** currimus, *in* **hortum**.

In quam partem hoc flumen fluit? - **Septentrionem** *versus*.

1.6. Interrogationes de tempore:

Significatio temporis (ablativus temporis)

Quando Stephanus Lauram cognovit? - Stephanus Lauram **anno praeterito** cognovit.

Quando cenabimus? - **Postea**, **hora septima et dimidia**.

Quando advenistis? - **Ante dimidiam horam** advenimus.

Qua hora [**Quota hora**] domum redire vultis? - **Hora nona et dimidia**.

1.7. Interrogationes de spatio temporis:

Significatio spatii temporis (accusativus durationis)

Per **quot annos** linguam Latinam didicisti? - Linguam Latinam *per* **quinque annos** didici.

Quam diu linguae Anglicae studuisti? - Linguae Anglicae **tres annos** studui.

Quam diu iter fecisti? - **Novem horas** iter feci.

Quam diu ovum elixare soles? - **Quattuor minutas**.

1.8. Interrogationes de modo:

Significatio modi (adverbia)

Quomodo vales? - **Optime** valeo.

Quomodo Anglice loqueris? - **Satis bene** [**pessime**] loquor.

Quomodo tibi cibi Italici sapiunt? - Mihi **optime** sapiunt.

1.9. Interrogationes de quantitatibus:

Significatio quantitatis (genitivus quantitatis)

Quot libros attulisti? - **Non multos** [**Paucos**], **quinque sexve**.

Quot [**Quam multi**] libri tibi sunt? - Mihi sunt **nongenti vel mille** libri.

Quot fratres habes? - Habeo **duos** fratres et **unam** sororem.

Quam magnus [**Quantus**] est hortus vester? - Habet **magnitudinem circiter mille metrorum quadratorum**.

Quantam famem habes? - **Tantam**, *ut* elephantum devorare possim. [**non tam multam** famem habeo.]

Quanti hic liber *constat*? - **Duodecim milibus librarum Italicarum** *constat*.

1.10. Interrogationes de causis:

Significatio causae (v. etiam caput V)

Si causam alicuius rei comperire volumus hoc modo interrogabimus:

Cur Michael iterum telephonavit? - Iterum telephonavit, **quia** horam profectionis oblitus est.

Cur [**Qua de causa**] Claudius Rüdesheim visere non vult? - Non vult, **quia** ei vici pro peregrinatoribus non placent.

1.11. Interrogationes de actionibus:

VERBVM: Indicatio actionis

Esne *tu* ***Stephanus***? - **Sum**.

*Tu*ne ***studiosus*** **es**? - **Non sum**. **Sum** ***magister***.

Suntne ***Paula et Maria*** quoque ***magistrae***? - **Non sunt**. ***Paula*** adhuc ***discipula*** **est** et ***Maria studiosa*** **est**.

Estne ***Petrus discipulus***? - **Est**. [**Non est** ***discipulus***, sed ***studiosus***.]

*Vos*ne ***omnes discipuli*** **estis**? - ***Discipuli non*** sumus, sed ***studiosi***.

***Vides*ne** amicos nostros Italicos? - Illos **non video**.

Scis*ne** Latine [Anglice / Francogallice / Italice / ...] ***loqui? - Iam aliquantulum **scio**.

Vis*ne** nobiscum pila ***ludere? - **Volo**. [**Nolo**.]

Vis*ne** nobiscum pila ***ludere an cum amicis ***ambulare***? - **Malo** cum amicis ambulare quam pila ludere.

***Placet*ne** tibi natare? - Multum mihi **placet**.

***Vides*ne** fluvium? - Fluvium **video**.

***Videtis*ne** fluvium? - Fluvium **videmus**.

Vidistine tramen?	- Tramen **vidi**.
Vidistisne tramen?	- Tramen **vidimus**.
Quid ***agunt*** Laura et Stephanus?	- Stephanus domum **monstrat**. Laura sarcinas in conclave **portat**.
<**Utrum**> *proficisceris* **an** *manebis*?	- **Proficiscar** intra quinque minutas. [Hic **manebo**.]
Utrum *proficisceris* **necne**?	- **Proficiscar**. [**Non proficiscar**.]
Nonne iam in America ***fuisti***? *(Putavi te iam in America fuisse.)*	- **Nondum**, sed hac aestate iter in Americam faciam.
Num iam in India ***fuisti***? *(Putavi te nondum in India fuisse.)*	- Iam semel in India **fui**.

EXERCEMVS:

Interroga vicinam tuam vel vicinum tuum:

1. *Quid est tibi nomen?*
2. *Quem nunc vides?*
3. *Cognovistine aliquos histriones televisificos? Quem maxime diligis?*
4. *Cui iam aliquid donavisti?*
5. *Cuius musicam maxime amas?*
6. *Quo vehiculo huc venisti?*

7. *Estne tibi/parentibus tuis hortus? Qui fructus ibi crescunt?*
8. *Ubi habitas?*
9. *Unde venis? Unde proavi tui venerunt?*
10. *Iamne in Australia fuisti?*
11. *Quam diu linguam Anglicam didicisti?*

Responsa in primis dialogis huius libelli certe invenies:

12. *Quis Claudiam salutat?*
13. *Quis iter valde pulchrum fecit?*
14. *Quem Stephanus in hortum ducit?*
15. *Quid Michael et Stephanus in horto vident?*
16. *Cui Stephanus domum monstrat?*
17. *Cui est conclave unius lecti?*
18. *Qui fructus Michaeli placent?*

19. *Ubi Stephanus Michael Anna Claudia cenabunt?*
20. *Ubi potiones sunt?*
21. *Unde Laura venit?*
22. *Quando pira matura erunt?*

2. DESCRIBIMVS

S.: Cedo hunc librum!

P.: Quem librum?

S.: Da mihi **librum**, **qui** in mensa iacet!

P.: In qua mensa iacet?

S.: Da mihi librum, qui in **mensa** iacet, **ad quam** Monica sedet!

P.: De qua Monica loqueris?

S.: Da mihi librum, qui in mensa iacet, ad quam **Monica** sedet, **cuius** amicus Paulus est!

P.: Qui Paulus est amicus Monicae?

S.: Da mihi librum, qui in mensa iacet, ad quam Monica sedet, cuius amicus **Paulus** est, **cui** autobirota rubra est!

P.: Non intellexi.

S.: Cedo, ***quaeso***, librum!

P.: Nunc intellexi. En tibi librum!

2.1. Comparationes

Positivus - Comparativus - Superlativus

Autocinetum Marci	**velox**	est.
sed autobirota Annae	**velocior**	est.
Autocinetum aviae autem	**velocissimum**	est.
Marcus ergo	**velociter**	vehitur,
sed Anna	**velocius**.	
	velocissime	autem avia vehitur.
Avia **velocius** vehitur	**quam** Anna et Marcus.	
	Anna et Marco.	

Autocinetum aviae est **velocissimum omnium**.

2.2. Monstramus et describimus:

S.: Nunc tibi rem monstrabilem monstrabo.

P.: Quid mihi monstrabis?

S.: Monstrare esse magni momenti monstrabo.

P.: Quae monstra mihi monstrabis?

S.: Vae! Ubi sunt monstra?

P.: Mitte monstra! Magne monstrator, monstra mihi modum monstrandi!

2.2.1. Monstramus:

Pronomina demonstrativa

Vide! **Hic** est Marcus.
Ecce Marcus!
En Marcus / Marcum

Ubi est? **Hic** est!
Quis est? **Hic** est.

Ubi Marcus et Anna stant? — Marcus **hic** stat. **Illic** [**ibi**] autem Anna stat.

Unde veniunt? — Anna **hinc** venit. Marcus autem **illinc**.
Quo eunt [vadunt]? — Anna **huc** it. Marcus autem **illuc** [**eo**].

Quando veniunt? — Anna **nunc** venit. Marcus autem **tunc** veniet.

Cui librum das? —
Huic *(amico meo)* librum do.
Isti *(amico tuo)* librum do.
Illi *(Marco, qui abest)* librum do.

Quae bracae tibi placent? —
Hae bracae *(bracae meae)* mihi placent.
Istae bracae *(bracae tuae)* autem mihi displicent.
Illas bracas *(bracas Marci, qui abest.)* terribiles puto.

Cedo (= *da mihi*) poculum! — **Quod** poculum? **Istud** poculum *(quod apud te est)*.

2.2.2. Monstramus aliquid intra textum:

Pronomina relativa

Ex epistula quadam:

Heri **amicus** me visitavit. ***Is*** diu non aderat./ , qui diu non aderat./ , quem diu non vidi.

Dixit **haec**: ***'Veni ad diem natalem meum celebrandum!'***

Etiam **Anna** et **Maria** venient. ***Hanc*** valde diligo, sed ***illam*** propius non novi./ , quas valde diligo./ quas non novi.

2.3. Sentimus aliquid:

Adiectiva descriptiva et gradum indicantia

2.3.1. Videmus:

Cur tibi placet haec sculptura?

Speciem [formam] **elegantem** habet [praebet / reddit].
Est **specie** [forma] **venusta**. Est **habitu venusto**.
Est **colore splendido** [coloris splendidi].
Habet **magnitudinem immensam** [pondus immensum].
Sculpturae antiquae **similis** est [sculpturam antiquam imitatur].
Vultum amici cuiusdam refert.

Mihi autem displicet sculptura.
Aspectum deformem [informem / foedum] habet. [est deformis visu.]

2.3.2. Audimus:

Quomodo tibi placet cantus?

Cantus **bene** [suaviter / apte / male] **sonat**.
Sonus vocis meae **elegantior** est.
Est **mirabilis** [horribilis] auditu.

2.3.3. Odor et sapor:

Quomodo tibi placent cibi Romani?

Bene [male] redolent.
Cibus **gravem odorem** reddit.
Cibus sine **odore** est.
Cibus **mentham redolet**.

Cibus **iucunde sapit**.
Sapore **insolito** [suavi / amaro / acuto / acido] est.
Saporis **praecipui** [horridi] est.
Cibus **mentham sapit**.

2.3.4. De gravitate:

Quid censes de hac re?

Est res **magni** [maximi / levioris / nullius] **momenti**.
Est res **magna** [gravis / parva / levis].
Magni refert. [Nihil refert.]

EXERCEMVS:

1. *Estne autocinetum (birota) tuum (tua) velocius (velocior) tramine?*
2. *Quod vehiculum velocissimum est: autocinetum, tramen, aeroplanum?*
3. *Quid tibi plus placet: musica moderna an musica antiqua?*

4. *Putasne sculpturas antiquas venustiores sculpturis modernis?*
5. *Quid tibi in sculpturis modernis placet - quid tibi displicet?*

6. *Quales cantus moderni tibi placent? Quid de cantibus modernis censes?*
7. *Quales cibi tibi bene sapiunt?*

8. *Quid hodierno tempore magni momenti pro hominibus esse putas, quid minoris momenti?*

APPENDIX GRAMMATICA

3. NARRAMVS ET MONSTRAMVS

S.: Narra mihi aliquid, Piper!

P.: Quid tibi narrem, mi Sal?

S.: Dic mihi quid heri feceris!

P.: Heri? Heri ut omnibus diebus in culina fui, in qua aliqui iuvenes coxerunt. Primum carnem condivi.

S.: Et deinde?

P.: Tum illi me dactylos farserunt.

S.: Te Pipere dactylos? Deliravisse videntur.

P.: Nescio an deliraverint. Praecepta Apicii illa antiqua experti sunt.

S.: Apicii? Nonne est ille illustrissimus coquus Romanus?

P.: Est.

S.: Cras te comitabor in culinam tuam.

P.: Nescio an te opus sit, Sal, cum pro te plerumque illam rem mirabilem substituant, cui nomen liquamen vel garum ...

S.: Quid?! Eis monstrabo nullum genus condimenti tam exquisitum dare cibis saporem quam ...

P.: Piper!

3.1. Aliquid accidit

Adverbia temporalia

Heri - hodie - cras:

Heri litteras tuas accepi.
Hodie sol splendet.
Cras in insulam Cretam proficiscemur.

Primum - deinde - tum:
Primum aeroplano volabimus, **deinde** tramine vehemur, **tum** navi.

Nuper - nunc - postea:
Nuper te in piscina ***vidi***. **Nunc** te in theatro iterum ***video***.
In hac caupona **postea** ***cenabimus***.

Iam - nondum - non iam:
Noverasne hoc oppidum **iam antea**? Hoc oppidum **nondum** cognovi. [Hoc oppidum **iam** cognoveram.]

Ante decem annos hic fui, sed **postea non iam**.
Pridie [**tertius nudius** / **tertio die**] hic fui.

S.: Nunc de relatione temporum aliquid comperire debeo. Fortasse mihi dicendum erit: «Heri scholam adii. Postea cum amicis lusi.» Scisne, quomodo id brevius, id est una sententia, dicam?

P.: Facile dictu est: «Heri cum amicis lusi, postquam scholam adii.»

S.: Ego vero alium modum multo breviorem scio: «Heri, schola finita, cum amicis lusi.»

P.: Hac sententia autem non dixisti te revera ad scholam iisse.

S.: Scilicet scholam adii. Putasne revera me scholam deserere?

P.: Si ita cogitas, poteris etiam dicere: «Heri post scholam cum amicis lusi.»

3.2. Narramus eventum

Coniunctiones temporales

Postquam domum ***adveni***, musicam ***audivi***.

Ubi (primum) [**ut (primum)** / **simul (atque)**] domum ***adveni***, musicam audire ***coepi***.

Cum domum ***advenissem***, musicam ***audivi***.

Eo tempore, cum Olympia Barcinone (= Barcelona) celebrata sunt, eo profectus sum.

In silva ambulabamus, **cum *subito*** pluere ***coepit***.

<Semper> **cum** sol ***splendet***, laetor.

Viatores **dum *loquuntur***, ad finem silvae pervenerunt.

Alexander in valetudinario remansit, **dum** [**quoad**] ***convaluit***.

Hic manebo, **dum** [**quoad**] ***redieris*** [***redeas***].

3.3. Sentimus aliquid

Verba sentiendi: AcP, AcI, NcI

Video [**Vidi**] Marcum. **Conspicio** [**Conspexi**] ***eum*** in horto ***ambulantem***.

Puto *Angelam* me male ***intellexisse***. *Angela* me malle ***intellexisse*** **videtur**.

Audivimus *chorum* in ecclesia ***cantantem***.

Audivimus *Michaelem* heri ***profectum esse***. (Maria enim nobis **narravit *eum profectum esse***.)

Equos in stabulo ***esse*** **scitis**.

Oblitus sum tibi ***scribere***.
Oblitus sum *te* mecum in theatrum ***ire velle***.

Recordor [**memoria teneo**] ***te*** mecum in theatrum ***ire velle***.
Memento [**Noli oblivisci**] iusto tempore ***venire***!

Constat [Apparet] *museum apertum* [*clausum*] *esse*.

3.4. Gaudemus vel dolemus

Verba affectus: AcI, NcI, quod causale

Gaudeo *vos advenisse*.
Gaudeo, **quod** *advenistis*.

Andreas **dolet** *Marcum* se ***non esse visitaturum***.
Andreas **dolet**, **quod** Marcus eum ***non visitabit***.

Miror *te* iam *adesse*.
Miror, **quod** iam *ades*.

Michael **aegre** [**moleste**] **fert** *se errarisse*.
Michael **aegre** [**moleste**] **fert**, **quod** *erravit*.

Birota vehi **mea** multum **interest**. **Sororis** autem *legere* magis *interest*.

3.5. Referimus aliquid

verba dicendi: AcI, NcI, oratio obliqua

Magistra **dicit** ***se Marcum laudavisse***.
Michael **dicit** ***magistram*** *Marcum* ***laudavisse***.

Magistram *Marcum* ***laudavisse*** **dicunt** [**ferunt**].
Magistra *Marcum* ***laudavisse*** **dicitur** [**fertur**].

Marcum *a magistra* ***laudatum esse*** **dicunt** [**ferunt**].
Marcus *a magistra* ***laudatus esse*** **dicitur** [**fertur**].

Andreas:
"Postquam domum **reverti**, cum Claudia **telephonavi**. **Nunc** autem librum **lego**, quem Monica **mihi dedit**. **Cras** ei librum **reddam**."

Andreas ***narrat***

se, postquam domum **reverterit**, cum Claudia **telephonavisse**. **Nunc** autem **se** librum **legere**, quem Monica **sibi dederit**. **Cras se** librum ei **redditurum esse**.

Andreas ***narravit***

se, postquam domum **revertisset**, cum Claudia **telephonavisse**. **Tum** autem **se** librum **legere**, quem Monica **sibi dedisset**. **Postero die se** librum ei **redditurum esse**.

EXERCEMVS:

1. *Quid heri fecisti? - Quid nunc facis? - Quid cras facies?*
2. *Narra, quid vicinus tuus heri fecerit, quid nunc faciat, quid cras facturus sit!*

4. OPTAMVS ET VETAMVS

S.: Heus, Piper! Quid gemis?

P.: Dicere non audeo, Sal.

S.: Quid times? Iam timore virescis, Piper.

P.: Postulo ...

S.: Quid?

P.: Peto ...

S.: Quid petis?

P.: Vellem ...

S.: Quidnam vis?! Dic tandem!

P.: Sane multum. Maxime vellem a te amari.

S.: Gaudeo. Noli timere, mi Piper! Quidquid iubebis, faciam.

P.: Utinam scirem quomodo iubere possem!

S.: Egomet ipse tibi rationem iubendi et vetandi monstrabo.

4.1. Iubemus et vetamus:

Imperativus

stricte:

Salve! - **Veni** huc! - Bene **valete**! - Clarius **loquere** [**loquimini**]!
Attentus **esto**! - **Scitote** me bene esse. - **Dic** mihi quid facias. -
Noli me **tangere**! - **Nolite timere**!

P.: Paene imperator factus sum qui scit imperare. At nimis severa ratio ista videtur. Acerbus es, Sal, scio. Sed ostende mihi rationem amiciorem, quaeso!

S.: Faciam.

amice:

Iussivus

Salva **sis**, Anna! - Optime **valeatis**, amici! - Bene **cenes**!
Monstra [**monstres**], **quaeso**, viam ad museum! - **Fac venias**! -
Responde [**respondeas**], **quaesumus**! - **Age emamus** tesseras!

Hortativus

Oremus! - **Abeamus** lusum! -
Proficiscamur tandem!

Prohibitivus

Ne sumpseris nimium salis! -
Ne me male **intellexeris**!
Fac ne ludo **vincaris**! -
Cave ne alapam **accipias**!

4.2. Optamus et monemus:

P.: Summas gratias, mi Sal. Iam confessus sum me a te amari velle.

S.: At iam te amo, fratelle.

P.: Tune vis amarus amare me acerbum? Amor enim non patitur neque cogi neque postulari.

S.: Recte me mones, Piper: iussus amor non est amor verus, sed est quoque amor optatus et desideratus.

P.: Optime. Utinam me doceas rationem optandi, Sal.

S.: Audi modo!

Optativus

Utinam cras **revertamur**!
(Fortasse revera revertemur.)
Utinam sol **splenderet**!
(Revera non splendet.)

Velim me **comiteris**! *(Fortasse ita facies.)*
Vellem mater adhuc **viveret**! *(Sed mortua est.)*

<**Utinam**> ne **pluat**! *(Spero caelum serenum mansurum esse.)*
<**Utinam**> ne Paulus sero **venisset**! *(Sed pro dolor sero fuit.)*

4.3. Quibus verbis fit petitio vel votum?

P.: Intellego rationem optandi. Tu enim interdum es magister optatissimus et amantissimus. Equidem non tam simplex sum ut nihil nisi "vellem" et "utinam" dixerim. Nonne sunt alia verba idonea, quibus aliquid petam vel vetem?

S.: Sunt, et oro ut tibi placeant.

Cum infinitivo

Hodie in Italiam ***proficisci*** **volumus**.
Nolunt pueri otiosi *esse*. - Ut video,
mavultis *ludere* quam per silvam ambulare.
Ad vivam Latinitatem ***accedere*** **cupit** [**studet**] Andreas.
Arbiter nos **iubet** finem ludi ***statuere***.
Medicus aegrotum **vetat** foris ***perambulare***.

ut / ne, neve cum coniunctivo

Optamus [**oramus**] **ut** novus annus prospere ***eveniat***.
Post triduum **desiderabamus ut** *fieret* festivitas.

Venator **imperavit** [**praecepit / mandavit**] **ut** statim de specula ***descenderemus***.
Postulo [**posco / peto / flagito**] a te **ut** cras nobiscum ***cenes*** **neve** ***cubitum eas***.
Parentes fortasse **interdicent** [**prohibebunt / impedient / recusabunt / repugnabunt / resistent**] **ne** vobiscum ***celebremus***.

4.4. Aliquid impetrare volumus [enuntiata finalia]

Subordinatio finalis

S.: Nunc dico: «*Citharam apportavi.* ***Nam*** *musicam facere* ***volo***.» Estne alius modus hoc dicendi clarior et brevior?

P.: Certe! Iam inveni: «*Citharam apportavi,* ***ut*** *musicam facerem.*» Estne ita?

S.: Ita est. Optime! Ergo paulum talia exercitabo: «*Ego linguam Anglicam disco.* ***Nam*** *Britannos et Americanos intellegere* ***volo***.» Quomodo hoc dicitur?

P.: «*Linguam Anglicam disco,* ***ut*** *Britannos et Americanos intellegam.*»

S.: Revera facillimum est:
Edo. **Nam** crescere **volo**. - Edo, **ut** crescam.
Non edis. **Nam** crescere **non vis**. - Non edis, **ne** crescas.

P.: Scilicet edo. Crescere autem ego non iam debeo, nam satis longus iam sum. Tu autem ...

S.: Cave ne colaphum accipias!

P.: Iam regem esse me sentio: nil est quod non flagitare vel repudiare possim.

S.: Fortasse non bene feci, Piper. Nunc enim timeo ne cuncta a me exigas meque ab omnibus rebus optatis arceas.

P.: Minime, Sal! Facile impetrabis ut tibi parceam. Recordare: rogavi te ut me amares.

S.: Quomodo fiduciam tuam assequi potero?

P.: Si bene ponas "**ut**" et "**ne**", mox amanti tuo persuadebis ut omnia faciam ad voluntatem tuam. Fac coneris!

ut / ne, neve cum coniunctivo

Non ***vivo*** **ut** ***edam***, sed ***edo*** **ut** ***vivam***.
Coquus ***videbit*** [***providebit / curabit***] **ut** cibos ad praeceptum ***paremus***.
Discipuli ***statuerunt*** [***constituerunt / decreverunt / sibi proposuerunt***] **ut** ferias una ***degerent*** **neve** domi ***manerent***.
Lisa Guntero ***persuadet*** [***consilium dat***] **ut** papilionem ***eligat*** **neve** ***sumat*** focale.

ne / ne non, ut cum coniunctivo

Timeo [**metuo / vereor**] **ne** vobis umbella ***opus sit***.

Nolite timere **ne** vehiculum longum non iusto tempore ***veniat***.
ut vehiculum longum iusto tempore ***veniat***.

Olim **verita sum**	**ne** sola *essem* in saltatione festiva. **(cum sensu finali)**
	sola ad saltationem festivam ***venire***. **(sine sensu finali)**
Iterum me **monetis**	**ut** sarcinas mecum ***feram***. **(cum sensu finali)**
	ne sarcinarum ***obliviscar***.
	aliquid ***contradicere***. **(sine sensu finali)**

S.: Persuasus sum arte tua persuadendi et monendi, Piper.

P.: Et ego mihi persuasi te impetrare posse quidquid vis.

S.: Ergo celebremus concordiam nostram. Amorem inter nos regnare scimus: sumus amici, qui facere possunt quaecumque volunt.

EXERCEMVS:

1. *Quae speras anno proximo futura esse? Quid anno proximo impetrare vis?*
2. *Quid velles homines hodiernos aliter vel melius facerent?*
3. *Quomodo ferias proximas degere velis?*
4. *Cum parva/-us fuisses, quid parentes vetuerunt, quid tibi licuit?*
5. *Disputate: Ad quem finem schola frequentanda est? - Ad quem finem linguas [mathematicam / historiam / musicam] discitis vel didicistis?*

5. DELIBERAMVS ET EXPLICAMVS

S.: Heus, Piper!

P.: Salve, Sal. Cur pallidus es?

S.: Delibero de natura mea difficili neque scio quomodo tibi explicem.

P.: Iam intellego: saporem tuum nemo nescit, sed nemo describere potest.

S.: Recte dicis, Piper. Sed dic mihi: Si tibi describere vellem quid sentiam, quibus verbis opus erit?

P.: Brevibus tibi explicabo, mi Sal.

5.1. Deliberamus

Interrogatio obliqua

Saepe nobis interrogationes afferendae vel repetendae sunt vel de aliqua re certi non sumus et hoc alicui dicere volumus:

Quid **agam**? Nescio.	Nescio, **quid agam**.
Dic mihi: Qui **sunt** isti qui te ***sequuntur***?	Dic mihi, qui **sint** isti qui te ***sequantur***.
Quaerimus: **Venitis*ne*** nobiscum ***necne***? Quaerimus: **Venietis*ne*** nobiscum ***necne***?	Quaerimus ***utrum*** **veniatis** nobiscum ***necne***. Quaerimus ***utrum*** nobiscum **venturi sitis** ***necne***.
Quota **est** hora? Scisne?	Tune scis ***quota*** **sit** hora?
Stephanus me *rogat*: ***Ubi*** **est** cenaculum? Stephanus me *rogavit*: ***Ubi*** **est** cenaculum?	Stephanus me *rogat* ***ubi*** cenaculum **sit**. Stephanus me *rogavit* ***ubi*** cenaculum **esset**.
Ex te *quaero*: **Studes*ne***? Ex te *quaerebam*: **Studes*ne***?	Ex te *quaero* ***num*** **studeas**. Ex te *quaerebam* ***num*** **studeres**.
Scit*ne* Stephanus cum Laura Italice colloqui?	Scisne ***num*** Stephanus **sciat** cum Laura Italice colloqui?

S.: Summas gratias, mi Piper! Nunc de me ipse cogitare melius potero. Sed alia me vexat cura: Cur deliberationes meas non potui verbis concipere?

P.: Vae, carissime, tibi causam patefaciam: Tu semper, si solus es, mordacissimus tibi videris, qua de causa nil aliud sentiebas.

S.: O, Piper, doce me rerum cognoscere causas!

P.: Libenter faciam: audi!

5.2. Explicamus causam

Subordinatio causalis

Vita hominum satis difficilis intellectu est. Saepe causas actionum et cogitationum nostrarum aliis explicare debemus.

Iter magnum feci: **hac de causa** fatigata sum.

Cum *iter magnum fecerim*, fatigata sum.
[**Quia** *iter magnum feci*, fatigata sum.]
Magno itinere facto fatigata sum.

Puto hodie aditum hortorum non patere.
Portae **enim** *clausae sunt*.

Aditum hortorum hodie non patere puto, **cum** *portae clausae sint*.

Propter *imbres subito exortos* ne forum quidem visitavimus.

Quia *subito imbres exorti sunt* [**Quia** *subito pluvit*], ne forum quidem visitavimus.
Imbribus subito exortis ne forum quidem visitavimus.

Piper acerrimum est. **Itaque** [Propterea] linguae id timent.

Linguae piper valde timent, **nam** *acerrimum est*.
Piper **cum** *sit acerrimum*, linguae id timent.

S.: Quantum didici, optime Piper! Tamen adhuc nescio quid sequatur.

P.: Quid sequi poterit, Sal? Dic clarius, quid velis!

S.: Dicam. Exempli gratia si coqui me mordacem cibis addunt, quo fine hoc faciunt?

P.: Te stultum! Scilicet ut cibi iucunde sapiant.

S.: Verumne? Ergo sequitur ut placeam?

P.: Ita est. Attente audi, quomodo consequentia verbis exprimantur.

5.3. **Explicamus consequentia**

subordinatio consecutiva

Cum actiones nostrae plerumque non solum causas habeant, sed etiam certa consequentia, nobis certe placebit consequentia explicare.

Sunt multa, **quae** mihi placent.

Multa **sunt ita, ut** mihi ***placeant***.
Sunt multa, **quae** mihi ***placeant***.
Multa sunt, **quae** mihi non ***displiceant***.

Colloquia **tantum *gaudium*** afferunt **ut** omnes [nemo non] adesse ***velint*** [***velit***].
Colloquia **maius** afferunt ***gaudium*** **quam ut** enarrare ***possim***.
Colloquia **maius** afferebant ***gaudium*** **quam ut** enarrare ***possem***.

Fieri potest ut mox volubiliter Latine ***loquamur*** [**ut non** multum ***obliviscamur***].
Fieri non potest ut patrii sermonis ***obliviscamur*** [**ut non** bene Latine ***loquamur***].

Lingua Anglica **non facilis est**: **difficile *pronuntiatur***.
Linguam Anglicam ***pronuntiare*** **difficile est**.
Lingua Anglica **difficilis est *pronuntiatu***.
Lingua Anglica **tam difficilis est ut difficile** ad normam ***pronuntietur***.

Lingua Anglica **digna est quae** [**ut**] bene ***pronuntietur***.
Lingua Anglica **dignior est quin** [**quominus**] bene ***pronuntietur***.

Facere non possum ut tecum dialogos nostros ***recitem***.
Facere non potui ut tecum dialogos nostros ***recitarem***.

Paene *morbo affectae* domi ***mansimus***.
Non multum [**nihil**] **afuit quin *propter morbum*** domi ***mansissemus***.

S.: Nunc, Piper, sum non solum doctissimus, immo doctior quam tu.

P.: Non credo, salse fratelle. Qua enim condicione me superare possit sapientia tua?

S.: Facere non possum quin tibi aperiam, si modo aures tuas mihi praebeas.

P.: Audiam auribus suspensis, nisi me mordebis; nam te remordere possum.

S.: Omnino non mordeo. Excipe rationes condicionum:

5.4. **Explicamus condicionem**

subordinatio condicionalis

Certae res tantummodo fiunt sub condicionibus: Discipuli a magistris solummodo laudantur, ***si*** *aliquid discunt. (Revera hodiernis temporibus plerumque contrarium auditur: Magistri a discipulis solummodo laudantur,* ***si*** *ipsi discipuli aliquid discunt.)*

Si venis, valde gaudeo.
Si *venias*, valde ***gaudeam***.
Si venires, valde gauderem.
Quid ***diceres***, **si** tecum ***peregrinarer***?

Si venies, valde gaudebo.
Si *veneris*, valde ***gavisus sim***.
Si *venisses*, valde ***gavisus essem***.
Quid ***dixisses***, **si** tecum ***peregrinatus essem***.

Si *me* ad cenam ***invites***, veniam.
Cibi bene sapiunt, **si *quis quid*** bene coquere scit.
Pereat mundus, **dummodo *vivat*** coquina Francogallica.

P.: Si novissem, mi Sal, non solum saporem tuum, sed etiam tuam sapientiam, numquam te ob vilitatem tuam despexissem; hoc mihi concedendum est.

S.: At sapientia mea, pro dolor, non satis est. Quid igitur est concessio et quomodo aliquid concedam?

P.: Iocaris, Sal. Sed quamvis ignorantiam dissimules tantum, colloquamur postremo de concessionibus invicem faciendis. Sed ambo simul loquemur!

5.5. **Aliquid concedimus**

subordinatio

*Nonnumquam aliquid concedere debemus (**etiamsi** nobis non semper placet), quod cum verum sit negari non postest.*

Bene me habeo. **Tamen** paululum fatigatus sum.
Ego bene me habeo **etiamsi** [**etsi**] paululum fatigatus ***sim***.
Bene me habeo, **quamquam** [**etsi**] paululum fatigatus ***sum***.
Bene me habeo **quamvis** fatigatus (***sim***).

P.: Plaudite: Prudentissime locuti sumus, Sal!

S.: Certe uterque nostrum linguam Latinam callet, sed praestat simul eadem recitare.

P.: Ita est. Nemo elegantius referet quaestiones, accuratius perquiret causas, validiora divinabit consequentia, severiores ponet condiciones.

S.: Quod est maximum: Nemo nobis eripiet magisterii concessionem.

EXERCEMVS:

1. *Qua de causa linguam Latinam [Anglicam / Francogallicam / Hispanicam / Italicam / ...] discis vel didicisti? - Quam aliam linguam discere velis et cur?*

2. *Gauderesne, si amicus tecum in Americam [Australiam / Iaponiam / ...] veniret?*

3. *Tibine placet magna itinera facere, etiamsi fatigeris?*

4. *Si dives esses, quid pecunia tua faceres?*

6. **DE NECESSITATE**

P.: Salve, Sal!

S.: Salve, Piper!

P.: Tibine placeret hodie Romane coquere?

S.: Scilicet!

P.: Optime! Hodie vesperi te visitabo.

S.: Tu me? Putavi me te ...

P.: Si me hodie invitare vis, te multa praeparare **oportet**: Additamenta **emenda sunt**. **Egemus** vino, melle, carne, farina ... Tum omnia tibi **paranda sunt**. Post cenam omnia laves **necesse est**.

S.: Et tibi modo **edendumst**! Sed si hoc quoque tibi nimis molestum est te etiam hoc onere levabo et solus omnia edam.

P.: Recte dicis! Excusa, quaeso! **Non decet** amicum omnia solum facere. Te adiuvabo. Ego emam additamenta, tum una coquemus et post cenam te adiuvabo, ut omnia lavemus.

S.: Optime! Ita faciamus!

6.1. **oportet:**

oportet cum coniunctivo

Non **oportet** mihi conclave statim ***monstres***. *(Poteris mihi postea monstrare.)*

Sed mihi hortum statim ***monstres*** **oportet**. *(Hortum statim videre volo.)*

6.2. **necesse / necessarium est:**

necesse est cum coniunctivo, necessarius, -a, -um (est), egere + abl. /

Quae vestimenta nobiscum feramus **necesse est**? [Quibus vestimentis / Quorum vestimentorum **egemus**?]

Pallia nobiscum feramus **necesse est**. (Pallia nobiscum feramus ***oportet***.)

Etiam bracae **necessariae** sunt. [**Egemus** etiam bracis.]

Umbella **necessaria** est. Umbellam nobiscum ferre **necesse est**. (Ne umbellas obliviscamur, ne pluviam timere debeamus!)

6.3. **debere:**

debere cum infinitivo / accusativo

Si iterum in Italiam venies, me Bononiae visitare **debebis**. *(Visita me, quaeso, Bononiae! Ibi theatrum frequentabimus.)*

Hanc ob rem vestem novam mecum portare **debebo**.

Bononiae tibi etiam pecuniam, quam tibi <dare> **debeo**, dabo.

6.4. Aliquid faciendum est:

Gerundivum

Nobis pedibus **eundum est**. Autocinetum enim fractum est. *(**Necesse est** pedibus ire. Nam autocineto **caremus**.)*

Quantum mulsi nobis **parandum est**? ***Quantum*** mulsi a nobis hospitibus **parandum est**? Vobis ***quinque litrae*** **parandae sunt**.

6.5. Licet / decet:

licet / decet cum infinitivo

Licetne vos adiuvare? *(Vultisne me vos adiuvare?)*

Scilicet **licet**. / **Non licet**.

Licetne, dum alii cenant, telespectare?

Non licet. **Non decet** telespectare, dum alii edunt. *(**Noli** nunc **telespectare**! / **Ne** nunc **telespectaveris**!)*

Post cenam tibi **licebit**.

EXERCEMVS:

1. *Quid tibi hodie **faciendum est**?*
2. *Quibus rebus **eges**, si coquere vis?*
3. *Quae res ad coquendum **necessariae** sunt?*
   *(**Necessarium** est ...)*
4. *Quae tibi **licent**, quae parentes vetant (vel vetuerunt)? Quid velis tibi **liceat**?*

8. DE FORMIS

<u>Coniugationes:</u>

singularis *activum*	*passivum*	*pluralis* *activum*	*passivum*

<u>tempus praesens: indicativus</u>

ama -	***amare:***	***1. (a-) coniugatio***
mone -	***monere***	***2. (e-) coniugatio***
reg-**i** -	***regere***	***3. coniugatio (consonantica)***
audi -	***audire***	***4. (i-) coniugatio***

1. am-**o** (reg-**o**)	am-**o - r** (reg-**or**)	*1.* ama - **mus**	ama - **mur**
2. ama - **s**	ama - **ris** (reg-**eris**)	*2.* ama - **tis**	ama - **mini**
3. ama - **t**	ama - **tur**	*3.* ama - **nt** (reg-**unt**)	ama - **ntur** (reg-**untur**)

<u>tempus praesens: coniunctivus</u>

ame -
monea -
rega -
audia -

1. ame - **m**	ame - **r**	*1.* ame - **mus**	ame - **mur**
2. ame - **s**	ame - **ris**	*2.* ame - **tis**	ame - **mini**
3. ame - **t**	ame - **tur**	*3.* ame - **nt**	ame - **ntur**

<u>tempus imperfectum: indicativus</u>

ama-**ba** -
mone-**ba** -
audie-**ba** -
rege-**ba** -

1. ama-ba - **m**	ama-ba - **r**	*1.* ama-ba - **mus**	ama-ba - **mur**
2. ama-ba - **s**	ama-ba - **ris**	*2.* ama-ba - **tis**	ama-ba - **mini**
3. ama-ba - **t**	ama-ba - **tur**	*3.* ama-ba - **nt**	ama-ba - **ntur**

<u>tempus imperfectum: coniunctivus</u>

amare -
monere -
regere -
audire -

1. amare - **m**	amare - **r**	*1.* amare - **mus**	amare - **mur**
2. amare - **s**	amare - **ris**	*2.* amare - **tis**	amare - **mini**
3. amare - **t**	amare - **tur**	*3.* amare - **nt**	amare - **ntur**

tempus perfectum: indicativus

amav -	am**atus/-a/-um** ...	amav -	am**ati/-ae/-a** ...
monu -	mon**itus/-a/-um** ...	monu -	mon**iti/-ae/-a** ...
rex -	**rectus/-a/-um** ...	rex -	**recti/-ae/-a** ...
audiv -	aud**itus/-a/-um** ...	audiv -	aud**iti/-ae/-a** ...

1. amav - **i**	amatus/a/um **sum**	*1.* amav - **imus**	amati/ae/a **sumus**
2. amav - **isti**	amatus/a/um **es**	*2.* amav - **istis**	amati/ae/a **estis**
3. amav - **it**	amatus/a/um **est**	*3.* amav - **erunt**	amati/ae/a **sunt**

tempus perfectum: coniunctivus

amav**-eri** -	am**atus/-a/-um** ...	amav**-eri** -	am**ati/-ae/-a** ...
monu**-eri** -	mon**itus/-a/-um** ...	monu**-eri** -	mon**iti/-ae/-a** ...
rex**-eri** -	**rectus/-a/-um** ...	rex**-eri** -	**recti/-ae/-a** ...
audiv**-eri** -	aud**itus/-a/-um** ...	audiv**-eri** -	aud**iti/-ae/-a** ...

1. amav-eri - **m**	amatus/a/um **sim**	*1.* amav-eri - **mus**	amati/ae/a **simus**
2. amav-eri - **s**	amatus/a/um **sis**	*2.* amav-eri - **tis**	amati/ae/a **sitis**
3. amav-eri - **t**	amatus/a/um **sit**	*3.* amav-eri - **nt**	amati/ae/a **sint**

tempus plusquamperfectum: indicativus

amav**-era** -	am**atus/-a/-um** ...	amav**-era** -	am**ati/-ae/-a** ...
monu**-era** -	mon**itus/-a/-um** ...	monu**-era** -	mon**iti/-ae/-a** ...
rex**-era** -	**rectus/-a/-um** ...	rex**-era** -	**recti/-ae/-a** ...
audiv**-era** -	aud**itus/-a/-um** ...	audiv**-era** -	aud**iti/-ae/-a** ...

1. amav-era - **m**	amatus/a/um **eram**	*1.* amav-era - **mus**	amati/ae/a **eramus**
2. amav-era - **s**	amatus/a/um **eras**	*2.* amav-era - **tis**	amati/ae/a **eratis**
3. amav-era - **t**	amatus/a/um **erat**	*3.* amav-era - **nt**	amati/ae/a **erant**

tempus plusquamperfectum: coniunctivus

amav**-isse** -	am**atus/-a/-um** ...	amav**-isse** -	am**ati/-ae/-a** ...
monu**-isse** -	mon**itus/-a/-um** ...	monu**-isse** -	mon**iti/-ae/-a** ...
rex**-isse** -	**rectus/-a/-um** ...	rex**-isse** -	**recti/-ae/-a** ...
audiv**-isse** -	aud**itus/-a/-um** ...	audiv**-isse** -	aud**iti/-ae/-a** ...

1. amav-isse - **m**	amatus/a/um **essem**	*1.* amav-isse - **mus**	amati/ae/a **essemus**
2. amav-isse - **s**	amatus/a/um **esses**	*2.* amav-isse - **tis**	amati/ae/a **essetis**
3. amav-isse - **t**	amatus/a/um **esset**	*3.* amav-isse - **nt**	amati/ae/a **essent**

tempus futurum

ama**-bi** -
mon**e-bi** -
reg**a** -
aud**ia** -

1. ama-b-**o**	ama-b-**o - r**	*1.* ama-bi - **mus**	ama-bi - **mur**
2. ama-bi - **s**	ama-b**e - ris**	*2.* ama-bi - **tis**	ama-bi - **mini**
3. ama-bi - **t**	ama-bi - **tur**	*3.* ama-b**u - nt**	ama-b**u - ntur**

tempus futurum perfectum

amav**-eri** -	am**atus/-a/-um** ...	amav**-eri** -	am**ati/-ae/-a** ...
monu**-eri** -	mon**itus/-a/-um** ...	monu**-eri** -	mon**iti/-ae/-a** ...
rex**-eri** -	**rectus/-a/-um** ...	rex**-eri** -	**recti/-ae/-a** ...
audiv**-eri** -	aud**itus/-a/-um** ...	audiv**-eri** -	aud**iti/-ae/-a** ...

1. amav-er-**o**	amatus/a/um **ero**	*1.* amav-eri - **mus**	amati/ae/a **erimus**
2. amav-eri - **s**	amatus/a/um **eris**	*2.* amav-eri - **tis**	amati/ae/a **eritis**
3. amav-eri - **t**	amatus/a/um **erit**	*3.* amav-eri - **nt**	amati/ae/a **erunt**

imperativi

ama!	_ _ _	conare!	_ _ _	amate!	_ _ _	conamini!	
mone!	_ _ _	pollicere!	_ _ _	monete!	_ _ _	pollicemini!	
rege!	_ _ _	loquere!	_ _ _	regite!	_ _ _	loquimini!	
audi!	_ _ _	potire!	_ _ _	audite!	_ _ _	potimini!	

infinitivi

praesentis		*perfecti*		*futuri*	
act.	*pass.*	*act*	*pass.*	*act.*	*pass.*
amare	amari	amavisse	amatus esse	amaturus esse	amatum iri
monere	moneri	monuisse	monitus esse	moniturus esse	monitum iri
regere	regi	rexisse	rectus esse	recturus esse	rectum iri
audire	audiri	audivisse	auditus esse	auditurus esse	auditum iri

participia

praesentis	*perfecti*	*futuri*
amans, -ntis	amatus/-a/-um	amatururs/-a/-um
monens, -ntis	monitus/-a/-um	moniturus/-a/-um
regens, -ntis	rectus/-a/-um	recturus/-a/-um
audiens, -ntis	auditus/-a/-um	auditurus/-a/-um

Verba extraordinaria:

1. esse:

tempus praesens: indicativus

1. sum	*1.* sumus
2. es	*2.* estis
3. est	*3.* sunt

tempus praesens: coniunctivus

1. sim	*1.* simus
2. sis	*2.* sitis
3. sit	*3.* sint

tempus imperfectum: indicativus

1. eram	*1.* eramus
2. eras	*2.* eratis
3. erat	*3.* erant

tempus imperfectum: coniunctivus

1. essem	*1.* essemus
2. esses	*2.* essetis
3. esset	*3.* essent

tempus perfectum: indicativus		*tempus perfectum: coniunctivus*	
1. fui	*1.* fuimus	*1.* fuerim	*1.* fuerimus
2. fuisti	*2.* fuistis	*2.* fueris	*2.* fueritis
3. fuit	*3.* fuerunt	*3.* fuerit	*3.* fuerint

t. plusquamperfectum: indicativus		*t. plusquamperfectum: coniunctivus*	
1. fueram	*1.* fueramus	*1.* fuissem	*1.* fuissemus
2. fueras	*2.* fueratis	*2.* fuisses	*2.* fuissetis
3. fuerat	*3.* fuerant	*3.* fuisset	*3.* fuissent

tempus futurum		*tempus futurum perfectum*	
1. ero	*1.* erimus	*1.* fuero	*1.* fuerimus
2. eris	*2.* eritis	*2.* fueris	*2.* fueritis
3. erit	*3.* erunt	*3.* fuerit	*3.* fuerint

imperativi

es! (esto!) — este! (estote!)

infinitivi

praesentis	*perfecti*	*futuri*
esse	fuisse	futurus esse (fore)

participia

praesentis	*perfecti*	*futuri*
(ens, -ntis)	– – –	futurus/-a/-um

2. velle - nolle - malle:

tempus praesens: indicativus		*tempus praesens: coniunctivus*	
1. volo	*1.* volumus	*1.* velim	*1.* velimus
nolo	nolumus	nolim	nolimus
malo	malumus	malim	malimus
2. vis	*2.* vultis	*2.* velis	*2.* velitis
non vis	non vultis	nolis	nolitis
mavis	mavultis	malis	malitis
3. vult	*3.* volunt	*3.* velit	*3.* volint
non vult	nolunt	nolit	nolint
mavult	malunt	malit	malint

tempus imperfectum: indicativus		*tempus imperfectum: coniunctivus*	
vole-ba - / nole-ba - / male-ba -		**velle - / nolle - / malle -**	
1. voleba - **m**	*1.* voleba - **mus**	*1.* velle - **m**	*1.* velle - **mus**
2. voleba - **s**	*2.* voleba - **tis**	*2.* velle - **s**	*2.* velle - **tis**
3. voleba - **t**	*3.* voleba - **nt**	*3.* velle - **t**	*3.* velle - **nt**

tempus perfectum: indicativus		*tempus perfectum: coniunctivus*	
volu - / nolu - / malu -			
1. volu - **i**	*1.* volu - **imus**	*1.* volu - **erim**	*1.* volu - **erimus**
2. volu - **isti**	*2.* volu - **istis**	*2.* volu - **eris**	*2.* volu - **eritis**
3. volu - **it**	*3.* volu - **erunt**	*3.* volu - **erit**	*3.* volu - **erint**

t. plusquamperfectum: indicativus		*t.plusquamperfectum: coniunctivus*	
volu - / nolu - / malu -			
1. volu- **eram**	*1.* volu- **eramus**	*1.* volu- **issem**	*1.* volu- **issemus**
2. volu- **eras**	*2.* volu- **eratis**	*2.* volu- **isses**	*2.* volu- **issetis**
3. volu- **erat**	*3.* volu- **erant**	*3.* volu- **isset**	*3.* volu- **issent**

tempus futurum		*tempus futurum perfectum*	
vol-e - / nol-e - / mal-e -		**volu - / nolu - / malu -**	
1. vol-**a - m**	*1.* vol-e - **mus**	*1.* volu - **ero**	*1.* volu - **erimus**
2. vol-e - **s**	*2.* vol-e - **tis**	*2.* volu - **eris**	*2.* volu - **eritis**
3. vol-e - **t**	*3.* vol-e - **nt**	*3.* volu - **erit**	*3.* volu - **erint**

imperativi

– – –	– – –
noli!	nolite!
– – –	– – –

infinitivi

praesentis	*perfecti*	*futuri*
velle	voluisse	– – –
nolle	noluisse	– – –
malle	maluisse	– – –

participia

praesentis	*perfecti*	*futuri*
volens, -ntis	– – –	– – –
nolens, -ntis	– – –	– – –
malens, -ntis	– – –	– – –

3. ire:

tempus praesens: indicativus		*tempus praesens: coniunctivus*	
1. eo	*1.* imus	*1.* eam	*1.* eamus
2. is	*2.* itis	*2.* eas	*2.* eatis
3. it	*3.* eunt	*3.* eat	*3.* eant

tempus imperfectum: indicativus		*tempus imperfectum: coniunctivus*	
1. ibam	*1.* ibamus	*1.* irem	*1.* iremus
2. ibas	*2.* ibatis	*2.* ires	*2.* iretis
3. ibat	*3.* ibant	*3.* iret	*3.* irent

tempus perfectum: indicativus		*tempus perfectum: coniunctivus*	
1. ii	*1.* iimus	*1.* ierim	*1.* ierimus
2. isti	*2.* istis	*2.* ieris	*2.* ieritis
3. iit	*3.* ierunt	*3.* ierit	*3.* ierint

t. plusquamperfectum: indicativus		*t. plusquamperfectum: coniunctivus*	
1. ieram	*1.* ieramus	*1.* issem	*1.* issemus
2. ieras	*2.* ieratis	*2.* isses	*2.* issetis
3. ierat	*3.* ierant	*3.* isset	*3.* issent

tempus futurum		*tempus futurum perfectum*	
1. ibo	*1.* ibimus	*1.* iero	*1.* ierimus
2. ibis	*2.* ibitis	*2.* ieris	*2.* ieritis
3. ibit	*3.* ibunt	*3.* ierit	*3.* ierint

imperativi

i! ite!

infinitivi

praesentis		*perfecti*		*futuri*	
ire	iri	isse	itum esse	iturus esse	---

participia

praesentis	*perfecti*	*futuri*
iens, euntis	itum	iturus/-a/-um

Declinationes:

Lingua Latina septem casus habet:

Primus ad eos pertinet, qui agunt: "Amic**a** et amic**us** veniunt." Hic casus vocatur ***nominativus***.

Secundus casus plerumque possessorem alicuius rei nominat: "Hic est liber Claudi**ae**." Hic casus ***genitivus*** nominatur.

Tertius casus personam indicat, cui aliquid damus vel donamus vel dicimus: "Marcus **mihi** librum donavit." Hic casus ***dativus*** dicitur.

Quartus casus est casus maximi momenti. Indicat enim personam vel rem, quam tractamus (i.e. videmus, audimus, ...): "Mont**em** video." vel "Aqu**am** bibo." Hic casus ***accusativus*** vocatur.

Quinto casu diversae condiciones describi possunt. Eo plerumque instrumenta significantur, quibus utimur, ut aliquid efficiamus: "Autocinet**o** vehor." Potest autem etiam adhiberi, cum momentum temporis vel locum indicare volumus: "Mense proxim**o** in Americam proficiscar." Hic est casus ***ablativus***.

Sexto casu aliquem vocamus: "Heus, amic**e**!" Hanc ob rem ***vocativus*** vocatur. Plerumque vero vocativus aquus est nominativo. Hac de causa in tabulis tantummodo indicavimus, ubi a nominativo differt.

Septimus casus rarissime adhibetur. Eo enim loca significantur: "Rom**ae** versor." Ideo ***locativus*** dicitur. Locativus tantummodo in nominibus oppidorum vel parvarum insularum adhibetur. Locativus in verbis, quae finiunt in -a vel -us sicut genitivus fingitur.

1. **I. (a-) declinatio:**

femininum

	singularis	*pluralis*
nom.	puella parva	puellae parvae
gen.	puellae parvae	puellarum parvarum
dat.	puellae parvae	puellis parvis
acc.	puellam parvam	puellas parvas
abl.	(a) puella parva	(a) puellis parvis
voc.	puella parva !	puellae parvae !
exempla:	femina,	feminae

2. **II. (o-) declinatio:**

masculinum			***neutrum***	
	singularis	*pluralis*	*singularis*	*pluralis*
nom.	amicus carus	amici cari	malum rubrum	mala rubra
gen.	amici cari	amicorum car	mali rubri	malorum rubrorum
dat.	amico caro	amicis caris	malo rubro	malis rubris
acc.	amicum carum	amicos caros	malum rubrum	mala rubra
abl.	(cum) amico caro	(cum) amicis	malo rubro	malis rubris
voc.	amice care !	amici cari !		
exempla:	cognatus,	cognati	plaustrum,	plaustri
	puer,	pueri	folium,	folii
	magister,	magistri		

3. **V. (e-) declinatio:**

femininum

	singularis	*pluralis*
nom.	res	res
gen.	rei	rerum
dat.	rei	rebus
acc.	rem	res
abl.	re	rebus

exemplum: dies, diei (m.)

4. **IV. (u-) declinatio:**

masculinum			***neutrum***	
	singularis	*pluralis*	*singularis*	*pluralis*
nom.	currus	currus	cornu	cornua
gen.	currus	curruum	cornus	cornuum
dat.	currui	curribus	cornu	cornibus
acc.	currum	currus	cornu	cornua
abl.	curru	curribus	cornu	cornibus

exempla: portus, portus
genu, genus
domus, domus (f.):
abl. s.: domo, *gen. pl.:* domorum,
acc. pl. domos

5. **III. (i-) declinatio:**

femininum			***neutrum***	
	singularis	*pluralis*	*singularis*	*pluralis*
nom.	turris	turres	mare	maria
gen.	turris	turrium	maris	marium
dat.	turri	turribus	mari	maribus
acc.	turrim	turres	mare	maria
abl.	turri	turribus	mari	maribus

exempla: sitis, sitis
conclave, conclavis
febris, febris

6. **III. declinatio (consonantica):**

masculinum			***femininum***	
	singularis	*pluralis*	*singularis*	*pluralis*
nom.	lector dives	lectores divites	lectrix iunior	lectrices iuniores
gen.	lectoris divitis	lectorum divitum	lectricis iunioris	lectricum iuniorum
dat.	lectori diviti	lectoribus divitibus	lectrici iuniori	lectricibus iunioribus
acc.	lectorem divitem	lectores divites	lectricem iuniorem	lectrices iuniores
abl.(a)	lectore divite	(a) lectoribus divitibus	(a) lectrice iuniore	(a) lectricibus
			iunioribus	

exempla: pater, patris — mater, matris
mons, montis — natio, nationis
cives, civis — lex, legis
sermo, sermonis — civitas, civitatis

neutrum

	singularis	*pluralis*
nom.	genus	genera
gen.	generis	generum
dat.	generi	generibus
acc.	genus	genera
abl.	genere	generibus

exempla: tempus, temporis
nomen, nominis

7. **III. declinatio (mixta)**

femininum

	singularis	*pluralis*
nom.	urbs grandis	urbes grandes
gen.	urbis grandis	urbium grandium
dat.	urbi grandi	urbibus grandibus
acc.	urbem grandem	urbes grandes
abl.	urbe grandi	urbibus grandibus

Declinatio pronominum:

singularis				*pluralis*		
	masc.	*fem.*	*neutrum*	*masc.*	*fem.*	*neutrum*
Nom.	hic	haec	hoc	hi	hae(c)	haec
Gen.	huius	huius	huius	horum	harum	horum
Dat.	huic	huic	huic	his	his	his
Acc.	hunc	hanc	hoc	hos	has	haec
Abl.	hoc	hac	hoc	his	his	his
Nom.	ille	illa	illud	illi	illae	illa
Gen.	illius	illius	illius	illorum	illarum	illorum
Dat.	illi	illi	illi	illis	illis	illis
Acc.	illum	illam	illud	illos	illas	illa
Abl.	illo	illa	illo	illis	illis	illis
Nom.	iste	ista	istud	isti	istae	ista
Gen.	istius	istius	istius	istorum	istarum	istorum
Dat.	isti	isti	isti	istis	istis	istis
Acc.	istum	istam	istud	istos	istas	ista
Abl.	isto	ista	isto	istis	istis	istis
Nom.	is	ea	id	ei / ii	eae	ea
Gen.	eius	eius	eius	eorum	earum	eorum
Dat.	ei / ii	ei / ii	ei / ii	iis / eis	iis / eis	iis / eis
Acc.	eum	eam	id	eos	eas	ea
Abl.	eo	ea	eo	iis / eis	iis / eis	iis / eis
Nom.	qui	quae	quod	qui	quae	quae
Gen.	cuius	cuius	cuius	quorum	quarum	quorum
Dat.	cui	cui	cui	quibus	quibus	quibus
Acc.	quem	quam	quod	quos	quas	quae
Abl.	quo	qua	quo	quibus	quibus	quibus

unus, solus, totus, ullus, uter?, alter, neuter, nullus habent genitivum in ***-ius*** *(e.g. null**ius**) et dativum in* ***-i*** *(e.g. alter**i**)*

Comparationes:

	Positivus	*Comparativus*	*Superlativus*
adiectivum:	longus -a -um	longior -or -us	longissimus -a -um
(*adverbium:*	longe	longius	longissime)
adiectivum:	brevis -is -e	brevior -or -us	brevissimus -a -um
(*adverbium:*	breviter	brevius	brevissime)
adiectivum:	piger -gra -um	pigrior -or -us	pigerrimus -a -um
(*adverbium:*	pigre	pigrius	pigerrime)

sed:

magnus, maior, maximus	parvus, minor, minimus
bonus, melior, optimus	malus, peior, pessimus
facilis, facilior, facillimus	difficilis, difficilior, difficillimus
iuvenis, iunior, _ _ _	vetus, vetustior, vetustissimus
diu, diutius, diutissime	prope, propius, (proximus)
multum, plus, plurimum n. (subst.)	(multum / valde), magis, maxime

Numeralia:

	cardinalia: *(quot?)*	***ordinalia:*** *(quotus?)*	***distributiva:*** *(quot omni vice?)*	***multiplicativa:*** *(quotiens?)*
0	nullus, nemo			
1	unus una unum	primus -a -um	singuli -ae -a	semel
2	duo duae duo	secundus	bini	bis
3	tres tres tria	tertius	terni	ter
4	quattuor	quartus	quaterni	quater
5	quinque	quintus	quini	quinquies
6	sex	sextus	seni	sexies
7	septem	septimus	septeni	septies
8	octo	octavus	octoni	octies
9	novem	nonus	noveni	novies
10	decem	decimus	deni	decies
11	undecim	undecimus	undeni	undecies
12	duodecim	duodecimus	duodeni	duodecies
13	tredecim	tertius decimus	terni deni	ter decies
14	quattuordecim	quartus decimus	quaterni deni	quater decies
15	quindecim	quintus decimus	quini deni	quinquies decies
16	sedecim	sextus decimus	seni deni	sexies decies
17	septendecim	septimus decimus	septeni deni	septies decies
18	duodeviginti	duodevicesimus	duodeviceni	duodevicies
19	undeviginti	undevicesimus	undeviceni	undevicies
20	viginti	vicesimus	viceni	vicies
21	viginti unus -a -um	vicesimus primus	viceni singuli	vicies semel
	...	...	..	...
30	triginta	tricesimus	triceni	tricies
40	quadraginta	quadragesimus	quadrageni	quadragies
50	quinquaginta	quinquagesimus	quingeni	quinquagies
60	sexaginta	sexagesimus	sexageni	sexagies
70	septuaginta	septuagesimus	septuageni	septuagies
80	octoginta	octogesimus	octogeni	octogies
90	nonaginta	nonagesimus	nonageni	nonagies
100	centum	centesimus	centeni	centies
200	ducenti -ae -a	ducentesimus	ducenteni	ducenties
300	trecenti	trecentesimus	trecenteni	trecenties
400	quadringenti	quadringentesimus	quadringenteni	quadrincenties
500	quingenti	quingentesimus	quingenteni	quingenties
600	sescenti	sescentesimus	sescenteni	sescenties
700	septingenti	septingentesimus	septingenteni	septingenties
800	octingenti	octingentesimus	octingenteni	octingenties
900	nongenti	nongentesimus	nongenteni	nongenties
1000	mille	millesimus	milleni	milies

LECTIONES

LECTIONES

I) *PETRONIVS*

SATYRICON: 47,1 - 50,4

Trimalchio intravit et detersa fronte unguento manus lavit spatioque minimo interposito

"Ignoscite mihi" *inquit* "amici, multis iam diebus venter mihi non respondit. Nec medici se inveniunt. Profuit mihi tamen mali corium et taeda ex aceto. Spero tamen, iam veterem pudorem sibi imponit. Alioquin circa stomachum mihi sonat, putes taurum. Itaque si quis vestrum voluerit sua re causa facere, non est quod illum pudeatur. Nemo nostrum solide natus est. Ego nullum puto tam magnum tormentum esse quam continere. Hoc solum vetare ne Iovis potest. Rides, Fortunata, quae soles me nocte desomnem facere? Nec tamen in triclinio ullum vetuo facere quod se iuvet, et medici vetant continere. Vel si quid plus venit, omnia foras parata sunt: aqua, lasani et cetera minutalia. Credite mihi, anathymiasis in cerebrum it et in toto corpore fluctum facit. Multos scio sic periisse, dum nolunt sibi verum dicere."

Gratias agimus liberalitati indulgentiaeque eius, et subinde castigamus crebris potiunculis risum. Nec adhuc sciebamus nos in medio, quod aiunt, clivo laborare. Nam commundatis ad symphoniam mensis tres albi sues in triclinium adducti sunt capistris et tintinnabulis culti, quorum unum bimum nomenculator esse dicebat, alterum trimum, tertium vero iam sexennem. Ego putabam petauristarios intrasse et porcos, sicut in circulis mos est, portenta aliqua facturos, sed Trimalchio exspectatione discussa

"Quem" *inquit* "ex eis vultis in cenam statim fieri? Gallum enim gallinaceum, penthiacum et eiusmodi nenias rustici faciunt: mei coci etiam vitulos aeno coctos solent facere."

Continuoque cocum vocari iussit et - non exspectata electione nostra - maximum natu iussit occidi et clara voce:

"Ex quota decuria es?"

Cum ille se ex quadragesima respondisset,

"Empticius an domi natus?"

"Neutrum," *inquit cocus* "sed testamento Pansae tibi relictus sum."

"Vide ergo," *ait* "ut diligenter ponas. Si non, te iubebo in decuriam viatorum conici."

Et cocum quidem potentiae admonitum in culinam obsonium duxit. Trimalchio autem miti ad nos vultu respexit et

"Vinum," *inquit* "si non placet, mutabo. Vos illud oportet bonum faciatis. Deorum

beneficio non emo, sed nunc quicquid ad salivam facit, in suburbano nascitur eo, quod ego adhuc non novi. Dicitur confine esse Tarraciniensibus et Tarentinis. Nunc coniungere agellis Siciliam volo, ut cum Africam libuerit ire, per meos fines navigem. Sed narra tu mihi, Agamemnon, quam controversiam hodie declamasti? Ego etiam si causas non ago, in domusionem tamen litteras didici. Et ne me putes studia fastiditum, duas bibliothecas habeo, unam Graecam, alteram Latinam. Dic ergo, si me amas, peristasim declamationis tuae."

Cum dixisset Agamemnon: "Pauper et dives inimici erant.",

ait Trimalchio "Quid est pauper?"

"Urbane!" *inquit Agamemnon et nescio quam controversiam exposuit.*

Statim Trimalchio "Hoc" *inquit* "si factum est, controversia non est. Si factum non est, nihil est."

Haec aliaque cum effusissimis prosequeremur laudationibus, "Rogo," *inquit* "Agamemnon mihi carissime, numquid duodecim aerumnas Herculis tenes, aut de Ulixe fabulam, quemadmodum illi Cyclops pollicem forcipe extorsit? Solebam haec ego puer apud Homerum legere. Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere, et cum illi pueri dicerent: 'Sibylla, quid cupis?' respondebat illa: 'Mori cupio.'"

Nondum efflaverat omnia, cum repositorium cum sue ingenti mensam occupavit. Mirari nos celeritatem coepimus et iurare, ne gallum quidem gallinaceum tam cito percoqui potuisse, tanto quidem magis, quod longe maior nobis porcus videbatur esse quam paulo ante apparuerat. Deinde magis magisque Trimalchio intuens eum "Quid? Quid?" *inquit* "Porcus hic non est exinteratus? Non mehercules est! Voca, voca cocum in medio!" *Cum constitisset ad mensam cocus tristis et diceret se oblitum esse exinterare,* "Quid? Oblitus?" *Trimalchio exclamat* "Putes illum piper et cuminum non coniecisse. Despolia!" *Non fit mora, despoliatur cocus atque inter duos tortores maestus consistit. Deprecari tamen omnes coeperunt et dicere:* "Solet fieri. Rogamus, mittas. Postea si fecerit, nemo nostrum pro illo rogabit." *Ego, crudelissimae severitatis, non potui me tenere, sed inclinatus ad aurem Agamemnonis* "Plane" *inquam* "hic debet esse servus nequissimus. Aliquis oblivisceretur porcum exinterare? Non mehercules illi ignoscerem, si piscem praeterisset." *At non Trimalchio, qui relaxato in hilaritatem vultu* "Ergo" *inquit* "quia tam malae memoriae es, palam nobis illum exintera!" *Recepta cocus tunica cultrum arripuit porcique ventrem hinc atque illinc timida manu secuit. Nec mora, ex plagis ponderis inclinatione crescentibus tomacula cum botulis effusa sunt. Plausum post hoc automatum familia dedit et* "Gaio feliciter" *conclamavit. Nec non cocus potione honoratus est et argentea corona, poculumque in lance accepit Corinthia, quam cum Agamemnon propius consideraret, ait Trimalchio:* "Solus sum, qui vera Corinthea habeam." *Exspectabam, ut pro reliqua insolentia diceret sibi vasa Corintho afferri. Sed ille melius:* "Et forsitan" *inquit* "quaeris, quare solus Corinthea vera possideam: quia scilicet aerarius, a quo emo, Corinthus vocatur. Quid est autem Corintheum, nisi quis Corinthum habet?"

I) ***PLINIVS MINOR***

EPISTVLAE:

Plinius Minor: epistula 4.13:

C.Plinius Cornelio Tacito Suo Salutem

.

.

.

Proxime cum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius praetextatus. Huic ego "Studes?" *inquam. Respondit:* "Etiam." "Ubi?" "Mediolani." "Cur non hic?" *Et pater eius - erat enim una atque etiam ipse adduxerat puerum:* "Quia nullos hic praeceptores habemus." "Quare nullos? Nam vehementer intererat vestra, qui patres estis (et opportune complures patres audiebant) liberos vestros hic potissimum discere. Ubi enim aut iucundius morarentur quam in patria aut pudicius continerentur quam sub oculis parentum aut minore sumptu quam domi? Quantulum est ergo collata pecunia conducere praeceptores, quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre emuntur (omnia autem peregre emuntur) impenditis, adicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro re publica nostra, quasi pro filia vel parente, tertiam partem eius quod conferre vobis placebit dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur, ut accidere multis in locis video, in quibus praeceptores publice conducuntur. Huic vitio occurri uno remedio potest, si parentibus solis ius conducendi relinquatur, isdemque religio recte iudicandi necessitate collationis addatur. Nam qui fortasse de alieno neglegentes, certe de suo diligentes erunt dabuntque operam, ne a me pecuniam non nisi dignus accipiat, si accepturus et ab ipsis erit. Proinde consentite conspirate maioremque animum ex meo sumite, qui cupio esse quam plurimum, quod debeam conferre. Nihil honestius praestare liberis vestris, nihil gratius patriae potestis. Educentur hic qui hic nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare frequentare consuescant. Atque utinam tam claros praeceptores inducatis, ut in finitimis oppidis studia hinc petantur, utque nunc liberi vestri aliena in loca ita mox alieni in hunc locum confluant!"

Haec putavi altius et quasi a fonte repetenda, quo magis scires, quam gratum mihi foret si susciperes quod iniungo. Iniungo autem et pro rei magnitudine rogo, ut ex copia studiosorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumspicias praeceptores, quos sollicitare possimus, sub ea tamen condicione ne cui fidem meam obstringam. Omnia enim libera parentibus servo: illi iudicent, illi eligant, ego mihi curam tantum et impendium vindico. Proinde si quis fuerit repertus, qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege, ut hinc nihil aliud certum quam fiduciam suam ferat.

Vale!

Plinius Minor: epistula 7.27:

C.Plinius Surae Suo S.

Et mihi discendi et tibi docendi facultatem otium praebet. Igitur perquam velim scire, esse phantasmata et habere propriam figuram numenque aliquod putes an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere.

Ego ut esse credam in primis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc et obscurus, obtinenti Africam comes haeserat. Inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura humana grandior pulchriorque. Perterrito Africam se futurorum praenuntiam dixit: iturum enim Romam honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. Facta sunt omnia. Praeterea accedenti Carthaginem egredientique nave eadem figura in litore occurrisse narratur. Ipse certe implicitus morbo futura praeteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis nullo suorum desperante proiecit.

Iam illud nonne et magis terribile et non minus mirum est quod exponam ut accepi? Erat Athenis spatiosa et capax domus sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, et si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox adparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur. Vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. Deserta inde et damnata solitudine domus totaque illi monstro relicta. Proscribebatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet.

Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares stilum lumen, suos omnes in interiora dimittit. Ipse ad scribendum animum oculos manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret.

Initio, quale ubique, silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum auribusque praetendere. Tum crebrescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat innuebatque digito similis vocanti. Hic contra ut paulum exspectaret manu significat rursusque ceris et stilo incumbit.

Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit.

Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicata, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa

reliquerat vinculis. Collecta publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.

.

.

.

Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est quam diu multumque consideres. Ne ego quidem indignus, cui copiam scientiae tuae facias. Licet etiam utramque in partem - ut soles - disputes, ex altera tamen fortius, ne me suspensum incertumque dimittas, cum mihi consulendi causa fuerit, ut dubitare desinerem.

Vale!

III) MARCVS TVLLIVS CICERO

EPISTVLAE:

Ad familiares: ante diem XII Kal. Quint. 47 a. Chr. n.:

TVLLIVS S. D. TERENTIAE

Si vales, bene est. Constitueramus, ut ad te antea scripseram, obviam Ciceronem Caesari mittere sed mutavimus consilium quia de illius adventu nihil audiebamus. De ceteris rebus, etsi nihil erat novi, tamen quid velimus et quid hoc tempore putemus opus esse ex Sicca poteris cognoscere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter!

Vale!

XII Kal. Quint.

Ad familiares: Kal. Sept. 47 a. Chr. n.:

TVLLIVS S. D. TERENTIAE SVAE

S. v. b. e. v.

Nos cottidie tabellarios nostros exspectamus, qui si venerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusque te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter!

Vale!

Kal. Sept.

Ad familiares: Kal. Oct. 47 a. Chr. n.:

TVLLIVS S. D. TERENTIAE SVAE

In Tusculanum nos venturos putamus aut Nonis aut postridie. Ibi ut sint omnia parata! Plures enim fortasse nobiscum erunt et, ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum si in balineo non est, ut sit! Item cetera quae sunt ad victum et ad valetudinem necessaria.

Vale!

Kal. Oct. de Venusino.

Ad Atticum post mortem C. Iulii Caesaris: X Kal. Mai. 44:

CICERO ATTICO SAL.

O mi Attice, vereor ne nobis Idus Martiae nihil dederint praeter laetitiam et odi poenam ac doloris. Quae mihi istim adferuntur! quae hic video! "O facinus bonum quidem, sed imperfectum!" scis quam diligam Siculos et quam illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Caesar, neque me invito etsi Latinitas erat non ferenda. Verum tamen. Ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a dictatore comitiis latam qua Siculi cives Romani cuius rei vivo illo mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? Dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. Sescenta similia. Verum illuc referor tam claram tamque testatam rem tamque iustam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte? et eo quidem magis quo ista plura?

Nobiscum hic perhonorifice et peramice Octavius. Quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non, itaque ne nos quidem quem nego posse esse bonum civem. Ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur, negant haec ferri posse. Quid censes cum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem semper erunt clari, conscientia vero facti sui etiam beati sed nos, nisi me fallit, iacebimus. Itaque exire aveo ubi nec Pelopidarum, inquit. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret. Sed hoc meae nimiae facilitatis nam id erat quondam quasi necesse, nunc, quoquo modo se res habet, non est item.

Quam dudum nihil habeo quod ad te scribam! scribo tamen, non ut delectem meis litteris sed ut eliciam tuas. Tu si quid erit de ceteris, de Bruto utique quicquid.

Haec conscripsi X Kal., accubans apud Vestorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

FACETE DICTA:

Nasica cum ad poetam Ennium venisset eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse et illum intus esse: paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius et eum ad ianuam quaereret, exclamat Nasica domi non esse, tum Ennius: "Quid? Ego non cognosco vocem"

inquit "tuam?" Hic Nasica "Homo es impudens: ego cum te quaererem ancillae tuae credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?!"
(Cic. de orat. II, 276)

Ille Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum, "Quaeso" inquit "praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis."
(Cic. de orat. II, 280)

IV) VALERIVS MARTIALIS

EPIGRAMMATA:

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura
Quae legis hic aliter non fit, Avite, liber.
(Epigramma 1,16)

Cum clamant omnes, loqueris tunc, Naevŏle, tantum,
Et te patronum causidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce: tacent omnes Naevole. Dic aliquid!
(Epigramma 1,97)

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis: tu breviora facis.
(Epigramma 1,110)

Mentiris fictos unguento, Phoebe, capillos
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necesse
Radere te melius spongia, Phoebe, potest.
(Epigramma 6,57)

Cur non mĭtto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.
(Epigramma 7,3)

Cogis me calamo manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas amasque,
Qui vis archetypas habere nugas!
(Epigramma 7,11)

Exigis, ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam, nam vis vendere, non legere.
(Epigramma 7,77)

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quaeritis? Uxori nubere nolo meae.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito
Non aliter fiunt femina virque pares.
(Epigramma 8,12)

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poetas.
Ignoscas petimus, Vacerra tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.
(Epigramma 8,69)

Hunc, quem mensa tibi, quem cena paravit amicum,
Esse putas fidae pectus amicitiae?
Aprum amat et mullos et sumen et ostrea, non te.
Tam bene si cenem, noster amicus erit.
(Epigramma 9,14)

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera tu prohibes inperiosus homo es.
Parendum est monitis, fiat quod uterque volemus
Et quod utrumque iuvat tu mihi, Quinte, dato.
(Epigramma 9,53)

V) VITRVVIVS

DE ARCHITECTVRA

Uti autem Aristarchus Samius mathematicus vigore magno rationes varietatis disciplinis de eadem re *(de luna)* reliquit, exponam. Non enim latet lunam non suum propriumque habere lumen, sed esse uti speculum et ab solis impetu recipere splendorem. Namque luna de septem astris circulum proximum terrae in cursibus minimum pervagatur. Ita quot mensibus sub rotam solis radiosque uno die, antequam praeterit, latens obscuratur. Cum est cum sole, "nova" vocatur. Postero autem die, quo numeratur secunda, praeteriens ab sole visitationem facit tenuem extremae rotundationis. Cum triduum recessit ab sole, crescit et plus inluminatur. Cotidie vero discedens cum pervenit ad diem septimum, distans a sole occidente circiter medias caeli regiones, dimidia lucet, et eius quae ad solem pars spectat, ea est inluminata.

Quarto autem decumo die, cum in diametro spatio totius mundi absit ab sole, perficitur plena et oritur, cum sol sit ad occidentem, ideo quod totum spatium mundi distans consistit contra et impetu solis totius orbis in se recipit splendorem. Septumo decumo die cum sol oriatur, ea pressa est ad occidentem. Vicensimo et altero die cum sol est exortus, luna tenet circiter caeli medias regiones, et id quod spectat ad solem, id habet lucidum reliquis obscura. Item cotidie cursum faciendo circiter octavo et vicensimo die subit sub radios solis, et ita menstruas perficit rationes.

(Vitruvius: De architectura 9,1.2)

VI) TITVS LVCRETIVS CARVS

DE RERVM NATVRA

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
concelebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti
placatumque nitet diffuso lumine caelum.
nam simul ac species patefactast verna diei
et reserata viget genitabilis aura favoni,
aeriae primum volucris te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi.
inde ferae pecudes persultant pabula laeta
et rapidos tranant amnis ita capta lepore
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.
denique per maria ac montis fluviosque rapacis
frondiferasque domos avium camposque virentis
omnibus incutiens blandum per pectora amorem
efficis ut cupide generatim saecla propagent.
quae quoniam rerum naturam sola gubernas
nec sine te quicquam dias in luminis oras
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,
te sociam studeo scribendis versibus esse,
quos ego de rerum natura pangere conor
.
.
.

Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile inlustrare Latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum
propter egestatem linguae et rerum novitatem
.
.
.

hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Principium cuius hinc nobis exordia sumet,
nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam.

quippe ita formido mortalis continet omnis,
quod multa in terris fieri caeloque tuentur,
quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.

quas ob res ubi viderimus nil posse creari
de nihilo, tum quod sequimur iam rectius inde
perspiciemus, et unde queat res quaeque creari
et quo quaeque modo fiant opera sine divom.

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
omne genus nasci posset, nil semine egeret:
e mare primum homines, e terra posset oriri
squamigerum genus et volucres erumpere caelo
armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum,
incerto partu culta ac deserta tenerent.

nec fructus idem arboribus constare solerent,
sed mutarentur, ferre omnes omnia possent.
.
.
.

Nec porro augendis rebus spatio foret usus
seminis ad coitum, si e nilo crescere possent
nam fierent iuvenes subito ex infantibus parvis
e terraque exorta repente arbusta salirent.
quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
paulatim crescunt, ut par est semine certo,
crescentesque genus servant ut noscere possis
quicque sua de materia grandescere alique.
.
.
.

nil igitur fieri de nilo posse fatendumst,
semine quando opus est rebus, quo quaeque creatae
aeris in teneras possint proferrier auras.
.
.
.

Huc accedit uti quicque in sua corpora rursum
dissoluat natura neque ad nihilum interemat res.
nam siquid mortale e cunctis partibus esset,
ex oculis res quaeque repente erepta periret
nulla vi foret usus enim, quae partibus eius
discidium parere et nexus exsolvere posset.
quod nunc, aeterno quia constant semine quaeque,
donec vis obiit, quae res diverberet ictu
aut intus penetret per inania dissoluatque,
nullius exitium patitur natura videri.

(De Rerum Natura: Liber primus, 1-224)

VII) CARMINA BVRANA

IN TABERNA QVANDO SVMVS:

In taberna quando sumus,
non curamus, quid sit humus,
sed ad ludum properamus,
cui semper insudamus.
Quid agatur in taberna,
ubi nummus est pincerna,
hoc est opus ut quaeratur:
sic quid loquar, audiatur.

Quidam ludunt, quidam bibunt,
quidam indiscrete vivunt.
Sed in ludo qui morantur,
ex his quidam denudantur,
quidam ibi vestiuntur,
quidam saccis induuntur,
ibi nullus timet mortem,
sed pro Baccho mittunt sortem.

Primo pro nummata vini:
ex hac bibunt libertini.
Semel bibunt pro captivis,
post haec bibunt ter pro vivis,
quater pro Christianis cunctis,
quinquies pro fidelibus defunctis,
sexies pro sororibus vanis,
septies pro militibus silvanis,
octies pro fratribus perversis,
novies pro monachis dispersis,
decies pro navigantibus,
undecies pro discordantibus,
duodecies pro paenitentibus,
tredecies pro iter agentibus.
Tam pro papa quam pro rege
bibunt omnes sine lege.

Bibit hera, bibit herus,
bibit miles, bibit clerus,
bibit ille, bibit illa,
bibit servus cum ancilla,
bibit velox, bibit piger,
bibit albus, bibit niger,
bibit constans, bibit vagus,
bibit rudis, bibit magus.

Bibit pauper et aegrotus,
bibit exul et ignotus,
bibit puer, bibit canus,
bibit praesul et decanus,

bibit soror, bibit frater,
bibit anus, bibit mater,
bibit ista, bibit ille,
bibunt centum, bibunt mille.

Parum sescentae nummatae
durant, cum immoderate
bibunt omnes sine meta,
quamvis bibant mente laeta.
Sic nos rodunt omnes gentes,
et sic erimus egentes.
Qui nos rodunt, confundantur
et cum iustis non scribantur.

VIII) De Catharina Sapienti

(E collectione "Fiabe Italiane" Itali Calvini, in linguam Latinam convertit Robert Maier)

Hic narratur, domini, fuisse olim Panhormi (= Palermo) divitem mercatorem. Is autem mercator filiam habebat, quae, cum a lacte depulsa esset, tantam sapientiam nacta est, ut de omni re, quae domi fiebat, sententiam suam diceret. Pater, indolem filiae conspiciens eam «Catharinam Sapientem» vocavit. Omnis generis linguam discens omnisque generis librum legens nemo eam adaequabat.

Cum sedecim annos nata esset, mater eius morta est; tantus dolor virginem afflixit, ut se in cubiculo suo includeret neque iam exire vellet. Cenabat ibi intus, dormiebat ibi intus; neque vero iam exstabat ambulatio neque theatrum neque delectatio.

Pater eius, qui pro ea sola unica filia vivebat, cogitavit consilium habendum esse. Convocavit omnes nobiles (nam quamvis mercator esset, inter nobiles multas amicitias colebat) et:

Domini, *inquit*, scitis me filiam habere, quae est pupilla oculorum meorum. At post mortem matris reclusa manet domi sicut cattus neque acumen nasi quidem foras ostendit.

Consilium autem respondit: Filia tua universo mundo grandi sapientia sua nota est. Aperi ei magnam scholam, ut alios docens fortasse illam cogitationem e mente sua expellat.

Placet mihi idea, *dixit pater et filiam vocavit.*

Audi, filia mea! Tibi omnem oblectationem spernenti cogitavi scholam aperire atque tu eris praeceptrix. Placetne tibi?

Catharina statim assentitur. Ipsa magistros instruere coepit atque scholam instituerunt. Foris tabulam affixerunt:

QVI AD CATHARINAM SAPIENTEM DISCITVM IBIT, HABEBIT SCHOLAM GRATIS!

Statim plurimi iuvenes venerunt, pueri et puellae, et illa eos ad mensas considere iussit, alium iuxta alium sine respectu ullius. Sed, *inquit*, iste carbonarius est, *et nihil refert. Carbonarius iuxta filiam principis considere debet. Qui prior est, potior est.*

Et schola incohat. Catharina flagellum habebat cum clavis in fine. Aequaliter omnes docebat, sed qui pensum suum non absolvit, verberabatur.

Fama eius scholae usque in regiam pervenit et filius regis quoque eo ire voluit. Vestem pretiosam induit, intrat, locum invenit et Catharina eum considere iubet. Cum eius res acta est, Catharina eum de problemate interrogavit. Filius regis respondere nescivit. Pam! Ei alapam dedit, ut ei adhuc bucca ardeat.

Filius regis ardens surgit, foras currit, ad regiam festinat et patrem suum adit.

Gratiam da mihi, domine rex! In matrimonium ire volo! Uxorem volo Catharinam Sapientem.

Rex patrem Catharinae vocari iubet. Pater venit.

Domine rex, impera, obtemperabo!

Leva te. Filius meus filiae tuae amore captus est. Quid agamus? Matrimonio eos coniungamus.

Ut vis, bone rex. Sum autem ego mercator et filius tuus regiae stirpis est.

Nihil refert: est filius meus, qui eam vult ...

Mercator domum rediit.

Catharina, est filius regis, qui te sibi in matrimonium petit. Tu quid dicis?

Eum prendo.

Lana pro culcitis eis non deficiebat neque arcae vestiariae: abinde octo diebus omnia necessaria praeparata erant. Filius regis ei duodecim virginum comitatum dedit. Aperuerunt ecclesiam regiam et nuptias celebraverunt.

Nuptiis factis regina virginibus dixit, ut nurum regiam exutum irent et ad dormiendum pararent. Sed filius regis dixit:

Non opus est aliquis, qui eam exuant neque qui induant, neque qui vigilent ante portam.

Ita solus cum uxore remanens ei dixit: Catharina, recordarisne eius alapae, quam mihi dedisti? Tene paenitet?

Mene paenitere? Si vis, tibi aliam do!

Quomodo? Te non paenitet?

Ne somnio quidem!

Neque paenitentiam agere vis?

Quis id cogitaret?

Itane res se habet? Nunc videbis!

Et incipit sibi funem praeparare, ut eam in cellam subterraneam mitteret. Cum funis paratus esset: Catharina, aut paenitentiam agis, aut te mitto in cellam subterraneam!

Ibi mihi frigidius erit. *Catharina ei respondet.*

Et filius regis eam prehendit et in cellam subterraneam mittit sine ullo comitatu praeter mensulam, sellam, urceolum aquae ac buccelam panis supra.

Postero die mane pater et mater venerunt, sicut adsolet, ut nuptam salutarent.

Intrari non potest., *filius regis ait.* Catharina non bene se habet.

Postea ad cellam subterraneam aperiendam iit. Quomodo noctem degisti?

Belle frigide!, *Catharina respondit.*

Cogitasne de alapa, quam mihi dedisti?

De ea cogito, quam tibi dare debeo.

Duo dies praeterierunt famesque eam opprimere coepit. Nesciens, quid faciendum, perticam e thorace exempsit atque foramen in muro terebrare coepit. Excavat, excavat, post viginti quattuor horas aliquid lucis videre coepit et se revivescentem sentit. Amplificat foramen et oculum admovet. Praetereuntem vidit scribam patris sui.

Domine Thoma, domine Thoma!

Thomas autem non intellexit, quid illa vox, quae e muro venit, esse posset.

Sum ego: Catharina Sapiens. Dic patri meo me cum eo statim loqui velle.

Thomas cum patre Catharinae revertit et ei punctum muri monstravit.

Mi pater, haec est sors mea, sum in cella subterranea. Debes cuniculum a tabulato subterraneo villae nostrae hucusque agere vicesimo quoque passu trabe et lampade ornatum, cetera ipsa curabo.

Mercator adnuit et interim ei per illud foramen gallinas, pullos cibosque validos suppeditare coepit.

LECTIONES

Ter in die filius regis apparebat apud cellam subterraneam:

Catharina, tene paenitet alapae, quam mihi dedisti?

Quid me paenitere? Cogita potius de alapa, quam tibi dabo.

Interim caementarii laborabant, ut cuniculum subterraneum agerent vicesimo quoque passu trabe et lampada ornatum.

Ubi primum paratus fuit, Catharina per eum semper, cum filius regis, postea quam apparuit, ostiolum cellae clausuerat, domum patris sui transiit.

Post aliquot dies filius regis satis huius rei habere coepit. Aperuit ostiolum cellae.

Catharina, eo Neapolim. Nonne mihi quid dicere vis?

Valde gaudeo, delecta te, cum advenies, scribe mihi.

Ergo eo?

Quid? Adhuc moraris?

Et filius regis profectus est.

Cum primum ostiolum cellae clausit, Catharina ad patrem suum cucurrit.

Papa, tempus est, ut me adiuves. Opus est mihi navicula ad proficiscendum parata, dispensatrice, famulabus, vestibus solemnibus, quae Neapolim mittantur. Ibi villam locent iuxta regiam meque exspectent.

Mercator navem proficisci iussit. Filius regis interim navem bellicam praeparari iussit et profectus est ipse. Cum illa e podio patris filium regis proficiscentem vidit, aliam naviculam ascendit et ante eum Neapoli fuit: parvae naves, ut scitur, celeriores sunt quam magnae.

Neapoli Catharina apparebat in podio villae suae, in dies pulchriore veste splendens.

Filius regis eam vidit atque exclamavit: Quam similis est Catharinae Sapienti! *et amore incenditur.*

Legatum misit.

Domina, filius regis te visitare velit, si tibi non incommodum sit.

Benigne! *respondit.*

Filius regis venit pretiose indutus, solemniter se salutaverunt, dein consederunt, ut colloquerentur.

Filius regis dixit: Et tu, domina, esne adhuc caelebs?

Adhuc caelebs. Et tu?

Ego quoque. Num mihi hoc tibi dicendumst? Similis es, domina, puellae, quae mihi Panhormi placuit. Te uxorem vellem.

Id mihi maximo gaudio est, regis fili.

Abinde octo diebus post nuptias celebraverunt.

Post novem menses Catharina puerum peperit, qui erat bellissimus.

Quod nomen ei damus? *filius regis interrogavit.*

Neapolis, *dixit Catharina.*

Et ei dederunt nomen Neapolis.

Duo anni praeterierunt. Filius regis proficisci voluit. Uxori regiae haec res valde displicuit, sed ille omni modo proficisci voluit. Ei litteras confecit, quibus dicebatur esse primogenitum suum et aliquando regem futurum. Et profectus est Genuam.

Ubi primum profectus est, Catharina patri suo scripsit, ut statim naviculam supellectile, dispensatrice, famulabus omnibusque ceteris rebus oneratam Genuam mitteret, ut villam iuxta regiam Genuae locarent eamque exspectarent. Mercator naviculam oneravit et Genuam misit.

Etiam Catharina naviculam ascendit et Genuam venit ante filium regis. Sibi villam Genuae instruxit et cum filius regis vidit istam bellam puellam regaliter pectitam, cum gemmis et divitiis, exclamavit:

Quam similis est Catharinae Sapienti et etiam uxori meae Neapolitanae! *et ei legatum misit.*
Se eum magno cum gaudio recipere affirmavit.

Coeperunt colloqui.

Tu autem caelebs es? *filius regis interrogavit.*

Vidua, *respondit Catharina*, et tu?

Ego quoque viduus. Cum uno filio. Scisne autem te simillimam esse dominae, quam Panhormi cognoveram, atque dominae, quam Neapoli cognoveram?

Et sic, ne moremur, octo diebus post maritus et uxor erant.

Post novem menses Catharina alterum puellum peperit pulchriorem quam primum. Filius regis felix erat.

Quod nomen ei damus?

Genua!

Et Genuam eum vocaverunt.

Duo anni praeterierunt et filium regis cupiditas proficiscendi denuo cepit.

Proficisceris et me relinquis sic cum filio in brachiis? *ei dixit uxor regia.*

Tibi litteras conscribo, *ei affirmat filius regis*, eum esse filium meum atque principem.
Cum ille praeparationes curavit, ut Venetias proficisceretur, Catharina Panhormum patri scripsit aliam naviculam petens cum famulabus, dispensatrice, supellectile, novis vestibus omnibusque rebus. Navicula Venetias profecta est. Filius regis profectus est navi bellica; uxor regia profecta est navicula et ante eum advenit.

Mehercle! *exclamavit filius regis cum illam bellam dominam vidit, quae in fenestra apparebat.* Ista quoque omnino similis est uxori meae Genuensi, quae omnino similis est uxori meae Neapolitanae, quae omnino similis est Catharinae Sapienti! Sed quomodo esse potest? Catharina Panhormi est in cella inclusa: Neapolitana Neapoli est, Genuensis Genuae est: atque ista Venetiis est ...

Ei legatum misit et postea eam visitatum iit.

Scisne vero te tot feminis similem esse, quas novi: uni Panhormi, alteri Neapoli, alteri Genuae ...

Et sic solitum colloquium continuatum est:

Esne caelebs?

Non, sum vidua. Et tu? ...

Ego quoque viduus ... cum duobus filiis ...

Et post octo dies nuptias celebraverunt.

Hac vice Catharina puellam peperit bellam tanquam solem et lunam.

Quod ei nomen damus?

Venetia.

Et Venetiae nomine baptizata est.

Duo anni praeterierunt.

Scito me Panhormum reverti debere. Sed antea quam proficiscor tibi litteras tales et tales relinquo: istam esse filiam meam et virginem regiam.

Profectus est, sed Catharina ante eum Panhormum pervenit. Iit domum patris sui, transgressa est per cuniculum et in cellam subterraneam revertit.

Filius regis, qui modo advenerat, ad cellam aperiendam cucurrit.

Catharina, quomodo vales?

Ego? Bene!

Tune paenitentiam egisti eius alapae, quam mihi dedisti?

Tune cogitasti de ea alapa, quam tibi dare debeo?

Age paenitentiam! Scito me alioquin in novum matrimonium iturum!

I modo! Quis te retinet?

Sin autem paenitentiam agis, rursus uxor mea eris.

Non.

Filius regis igitur declaravit uxorem suam mortuam esse et in novum matrimonium ire voluit. Scripsit ad reges, ut sibi imagines filiarum mitterent. Imagines advenerunt: optima erat filiae regis Britanniae. Filius regis nuntium misit, ut mater et filia nuptias effectum venirent.

Panhormum tota familia regia Britanniae advenit ac postero die matrimonium fuit.

Catharina interim quid agit? Tres bellas vestes regales praeparari iussit tribus filiis suis Neapoli, Genuae, Venetiae. Ipsa vestes reginae induit, quae erat, Neapolim ut primogenitum regium vestitum et Genuam ac Venetiam ut filium filiamque regis vestitos manu prehendit et carruca regali ad palatium vecta est.

Agmen nuptiale cum filio regis filiaque regis Britanniae appropinquavit et Catharina filiis suis dixit:

Neapolis, Genua, Venetia, ite ad manum patris vestri osculandam!

Et pueri cucurrerunt ad manum filii regis osculandam.

Filius regis, cum eos vidit, non potuit, quin se victum agnosceret.

Haec est alapa, quam mihi dare debuisti! *exclamavit et filios amplexus est.*
Virgo regia Britanniae sicut columna salis remanet: relinquit eos et aufugit.

Catharina marito totum mysterium dominarum inter se similium explanavit et filius regis non desiit veniam petere.

Sic vivebant felices et contenti. Et nos hic sumus, qui dentibus frendimus.

1. Lexica et collectiones locutionum:

AUSFÜRLICHES LATEINISCH-DEUTSCHES HANDWÖRTERBUCH, Karl Ernst Georges, Wissenschaftliche Buchgesellschaft, Darmstadt 1985, Bestellnr. 0053-6

LANGENSCHEIDTS TASCHENWÖRTERBUCH DEUTSCH - LATEINISCH, Langenscheidt, Berlin, ISBN 3-468-10205-4

PONS STANDARDWÖRTERBUCH LATEINISCH - DEUTSCH, DEUTSCH - LATEINISCH, Ernst Klett Verlag für Wissen und Bildung, Stuttgart 1992, ISBN 3-12-517520-8

LEXICON AUXILIARE, Christian Helfer, Societas Latina, Saarbrücken 1991, ISBN 3-923587-08-2

GRUNDWORTSCHATZ LATEIN, Eberhard Hermes et Horst Meusel, Ernst Klett Verlage, Stuttgart 1988, ISBN 3-12-604300-3

SPRECHEN SIE LATEINISCH?, Georg Capellanus (= Eduard Johnson), Ferd. Dümmlers Verlag, Bonn 1979, ISBN 3-427-47055-5

LATEIN AKTIV, Caelestis Eichenseer, Langenscheidt, Berlin 1984, ISBN 3-468-42520-1

2. Pro incipientibus:

ORBIS SENSUALIUM PICTUS, Johann Amos Comenius, Die bibliophilen Taschenbücher Nr. 30, Dortmund 1978, ISBN 3-921846-30-7

NEUER ORBIS PICTUS FÜR DIE JUGEND, Jacob Eberhard Gailer, Die bibliophilen Taschenbücher Nr. 116, Dortmund 1979, ISBN 3-88379-116-4

FORMULAE LATINE LOQUENDI PUERILES, Sebald Heiden, Ernst Klett Schulbuchverlag, Stuttgart 1990 (editio princeps 1685), ISBN 3-12-654600-5

MEINE ERSTEN WÖRTER UND SÄTZE / LATEIN, Karl-Heinz Graf v. Rothenburg, Ars-Edition, München 1992, ISBN 3-7607-4575-X

COTTIDIE LATINE LOQUAMUR, Sigrid Albert, Societas Latina, Saarbrücken 1987, ISBN 3-923587-09-0

FAMILIARIVM COLLOQVIORVM FORMVLAE, Erasmus Rottelodamus, Philipp Reclam jun., Stuttgart 1982, ISBN 3-15-007784-2

3. Legenda:

QUOMODO VIVEBANT ROMANI, Odile Bombarde et Claude Moatti - in Latinum vertit Petrus Schütz, Ravensburger Buchverlag, Ravensburg 1987, ISBN 3-473-38330-9

HAEGAR TERRIBILIS - MILES SINE TIMORE VITIISQUE, transvertit Karl Ulrichs, Wilhelm Goldmann Verlag, München 1986, ISBN 3-442-06994-7

PLAUTUS IN COMICS (MOSTELLARIA), Plautus (illustr. Helmut Oberst), Artemis Verlag Zürich und München, Zürich 1971, ISBN 3-7608-4049-3

ASTERIX (lingua Latina), Delta Verlag, Stuttgart, ISBN 3-7704-00**-*

PINOCULUS LATINUS, Artemis Verlag Zürich und München, Zürich 1983, ISBN 3-7608-4065-5

MICHAEL MUSCULUS (Mickey Mouse) / DONALDUS ANAS (Donald Duck) / SNUPIUS (Snoopy) (lingua Latina), European Language Institute, P.O. Box 6, I-62019 Recanati

CAESAR: BELLVM HELVETICVM (scriptores antiqui Romani imaginibus ornati), Ernst Klett Schulbuchverlag, Stuttgart 1991, ISBN 3-12-667200-0

APOCOLOCYNTOSIS, L. Annaeus Seneca, Latine-Theodisce, transvertit Anton Bauer, Philipp Reclam jun., Stuttgart 1981, ISBN 3-15-007676-5

4. Specialia:

LATEINSPRECHEN IM UNTERRICHT, Andreas Fritsch, Buchners Verlag, Bamberg 1990, ISBN 3-7661-5422-2

LIBER CANTUALIS, Societas Latina, Universität des Saarlandes, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken

DE RE COQUINARIA, Apicius, Latine-Theodisce, transvertit et edidit Robert Maier, Philipp Reclam jun., Stuttgart 1991, ISBN 3-15-008710-4

LATEINISCHE GRAMMATIK, Hans Rubenbauer, J.B. Hofmann, revid. R. Heine, C.C. Buchners Verlag, J. Lindauer Verlag, R. Oldenbourg Verlag, München 1975, ISBN 3-7661-5627-6 / 3-87488-694-8 / 3-486-06940-3

MEMORANDA: Grammatisches Grundwissen Latein, Thomas Meyer, Ernst Klett Schulbuchverlag, Stuttgart 1992, ISBN 3-12-615200-7

5. Acta periodica:

VOX LATINA *(4x quotannis)*, Societas Latina, Universität des Saarlandes, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken

LATINITAS *(4x quotannis)*, Opus Fundatum Latinitas, I-00120 Città del Vaticano

RVMOR VARIVS *(6x quotannis)*, c/o Akad. Postfach, CH-8050 Zürich

MELISSA *(6x quotannis)*, Guy Licoppe, Avenue de Tervueren 76, B-1040 Bruxelles

IUVENIS / ADULESCENS *(8x quotannis)*, European Language Institute, P.O. Box 6, I-61920 Recanati